AUTHOR:

HURTH, XAVER

TITLE:

DE GREGORII NAZIANZENI...

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1906

Master Negative #

93-81265-20

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hürth, Xaver, 1881-
De Gregorii Nazianzeni orationibus funebribus, dissertatio inauguralis quam ... scripsit Xaverius Hürth ... Argentorati, Trvebner, 1906.
71 p. 23 cm.

Thesis, Strassburg, 1905.
... Die ganze arbeit erscheint in "Dissertationes Argentoratenses selectae" vol. XII...


Volume of pamphlets


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/7/93 INITIALS BF
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT











Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches







DE

GREGORII NAZIANZENI
ORATIONIBUS FUNEBRIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

XAVERIUS HÜRTH

ALSATA.

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER

MCMVI.

Von der philosophischen Fakultät genehmigt
am 1. August 1905.

Teildruck mit Genehmigung der Fakultät.

Die ganze Arbeit erscheint in
'Dissertationes Argentoratenses selectae' vol. XII
(Argentorati, Karl J. Trübner).

Druck von M. DuMont-Schauberg, Straßburg.

PARENTIBUS CARISSIMIS

S

PROOEMIUM.

Quamquam Gregorii Nazianzeni, praeclarissimi illius quarti saeculi theologi oratoris poetae opera legentem fugere non potest ea et verborum et sententiarum luminibus distincta veraque illa antiquorum Graecorum humanitate repleta esse, tamen a viris philologis adhuc plane fere neglecta sunt. Suo igitur iure doctissimi huius aetatis viri queruntur, quod ad ea cognoscenda et perquirenda non ea diligentia neque id studium adhibitum sit, quo digna sint[1]). Sed ne iniquum me esse iudicem dicas : sane carmina eius tractari coepta sunt; nam Ackermann de Nazianzeni carminibus didacticis egit[2]), Naekius[3]), Ludwichius[4]), Knaackius[5]), Stoppelius[6]), Reitzensteinius[7]) de eius fontibus, Guil. Meyer[8]), Hannsen[9]), Stoppelius de arte metrica scripserunt. Quid vero orationes? Ad has perscrutandas adhuc, quod quidem sciam, dedita opera nemo accessit; nam Nordenus generatim tantummodo de

---

[1]) Wilamowitzius, commentar. gramm. III 14 dicit: 'multos versus descripsi, cum sperarem exemplo proposito facilius quam commentatione mea hunc aut illum permotum iri, ut Gregorio studia impenderet, quibus ille prae multis dignus est bis terque nuper editis'; cf. etiam Wilamowitzium, Herakles I² 202, Nordenum, Herm. vol. XXVII pg. 613.

[2]) W. Ackermann, Die didaktische Poesie des Gregorius von Nazianz, diss. Lips. 1903.

[3]) Ind. lect. Bonnens. 1836/37 = opusc. I pg. 236.

[4]) In Mus. Rhenan. vol. XLII pg. 236.

[5]) In Annal. Fleckeis. vol. CXXXV pg. 621.

[6]) Quaestiones de Gregorii Nazianzeni poetarum scaenicorum imitatione et arte metrica, diss. Rostoch. 1881.

[7]) Herm. vol. XXXV (1900) pg. 90—95.

[8]) Anfang und Ursprung der latein. und griech. rythmischen Dichtung (Abhandl. d. bayer. Akad. d. Wissensch. Philos. Philol. Kl. XVII 2. Abt.) 400—409.

[9]) Über die unprosodischen Hymnen des Gregor v. Nazianz. Philolog. XLIV pg. 228.

Nazianzeni arte et genere dicendi egit ac paucis rem absolvit[1]). Miramur amplissima haec artis oratoriae documenta tractata nondum esse, idque eo magis, quod eius sunt viri, qui non solum ex praestantissimis ac praeclarissimis oratoribus Christianorum fuerit, sed haud paucos ex celeberrimis paganorum quoque arte dicendi aequaverit vel adeo superaverit. Neque ignorabant posteriores Gregorii artem oratoriam neque parum aestimabant: constat enim nullius fere orationes medio aevo diligentius lectitatas evolutasque esse quam Gregorii Nazianzeni; quo factum est, ut tanta copia commentariorum, qui ad illustrandas et explicandas sermonis sententiarumque difficultates confecti sunt, ad nostram aetatem pervenerint. Quid? quod posteriores tantopere eius orationes admirati sunt, ut sint inventi, qui eum vel Demostheni anteponerent[2]). Quare minime mirum multos rhetores ex illius orationibus magnas elegisse excerpsisse exscripsisse partes, quae exempla studiosis artis rhetoricae proponerent[3]).

Hae sunt inter causas, quibus commotus ad Gregorii orationes tractandas me contuli; neque vero omnes hoc libello in censuram vocavi — maius hoc fuisset inceptum, quam quod meae nunc vires et aetas perficerent —, sed ad solas orationes funebres illustrandas me accinxi. Atque ita hanc disceptationem instituam, ut praemissa dissertatione de laudationum Graecarum compositione primum explicem, quo tempore singulae orationes, quas tractaturus sum, confectae vel habitae sint, deinde illarum formam compositionemque eruam atque conferam et cum artium, quae dicuntur, praeceptis et cum eiusdem generis orationibus oratorum aequalium vel aetate antecedentium; tum de eius dictione agam, quam comparem cum Atticorum et Atticistarum sermone, denique de Gregorii hiatus vitandi studio singularia quaedam disputabo.

[1]) Norden, Die antike Kunstprosa II 562 seqq. Cf. etiam Villemain, Tableau de l'éloquence chrétienne au quatrième siècle (Paris 1858) pg. 104 et F. Probst, Katechese und Predigt vom Anf. des vierten bis zum Ende des sechsten Jahrh. Bresl. 1884.

[2]) Walz, rhetores Graeci VI 341. 472. — Norden, Zeitschr. f. wissenschaftl. Theologie N. F. I (1893) pg. 441 seqq. — Norden, Die antike Kunstprosa II pg. 568.

[3]) Locos significat Walzii index ad rhetores Graecos vol. IX pg. 633 seq.

I.
DE GRAECORUM ORATIONUM FUNEBRIUM COMPOSITIONE.

Quamvis multae atque copiosae ex antiquitate ad nostram aetatem pervenerint artes rhetoricae, tamen non nisi duorum rhetorum praecepta de orationibus funebribus exstant, Pseudo-Dionysii dico[1]) et Menandri[2]). Quorum ille unum genus novit, nempe λόγον ἐπιτάφιον, qui partim pertinet ad milites in pugna mortuos (ὁ κοινὸς ἐπιτάφιος πρὸς πόλιν ἅπασαν καὶ δῆμον), partim ad singulos homines (ὁ καθ' ἕκαστον), alter vero, Menander, quattuor genera orationum funebrium, quae in singulos homines habentur, distinguit. Sunt autem haec:

1. τὸ καθαρὸν ἐγκώμιον[3]), quod dicitur multis annis post mortem eius, qui laudatur; est mera laudatio hominis mortui.

2. ἡ μονῳδία[4]), cuius finis est τὸ θρηνεῖν καὶ κατοικτίζεσθαι; exempla sunt Himerii μονῳδία εἰς τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ῥουφῖνον et Libanii ἐπὶ Ἰουλιανῷ μονῳδία.

3. ὁ παραμυθητικὸς λόγος[5]), cuius pars praestantissima est consolatio, quam antecedit laus. Laus ipsa disposita est secundum tria tempora: ἀπὸ τοῦ παρόντος, ἀπὸ τοῦ παρεληλυθότος, ἀπὸ τοῦ μέλλοντος χρόνου.

4. ὁ ἐπιτάφιος λόγος[6]); constat e duabus partibus laudis et consolationis, quarum prior, quae laudem continet, praevalet; alia eius atque in tertio genere tractatio est; neque enim secundum tria illa tempora exstruitur, sed secundum seriem illam τόπων ἐγκωμιαστικῶν, quos infra recognoscemus.

Ex quattuor his generibus Gregorius Nazianzenus nec meras laudationes, nec monodias ut Himerius et Libanius, neque consolationes ut Gregorius Nyssenus, sed unice ἐπιταφίους λόγους, quos vocat Menander, confecit; unum igitur

[1]) Usener, Dionysii Halicarnesei, quae fertur ars rhetorica 1895; Usener-Radermacher, opusc. Dionysii H. II 1 pg. 277.

[2]) Bursian, Der Rhetor Menandros und seine Schriften (Abh. der bayer. Akad. d. Wissensch. Philos. Philol. Kl. XVI Abt. 3. — Spengel, Rhetores Graeci III 331—369.

[3]) Spengel l. c. III 419. [4]) Spengel l. c. III 435.

[5]) Spengel l. c. III 513. [6]) Spengel l. c. III 418.

hoc genus in censum venit. Sed cum iam Bauerus[1]) nuper fuse atque copiose disseruerit, quae ratio inter singula orationum funebrium genera intercederet[2]), supersedeo plura verba de illarum orationum affinitate vel diversitate facere, atque ad id statim me convertam, quod ad explicandam Gregorii orationum compositionem maxime necessarium videtur, Menandri, qui perfectissimam de genere epidictico artem scripsit, schema λόγου ἐπιταφίου. Est autem hoc:

I. Laus.
  1. γένος (πατρίς, ἔθνος, γένος)
  2. γένεσις
  3. φύσις
     a) σώματος
     b) ψυχῆς, cuius εὐφυΐαν demonstrant
        α) ἀνατροφή
        β) παιδεία
        γ) ἐπιτηδεύματα (δίκαιος, φιλάνθρωπος, ὁμιλητικός, ἥμερος)
  4. πράξεις, quae disponuntur secundum
     a) ἀνδρείαν
     b) σωφροσύνην
     c) δικαιοσύνην
     d) φρόνησιν
  5. τύχη (πλοῦτος, παίδων εὐτυχία καὶ γένεσις, φίλοι, τιμαί)
  6. σύγκρισις πρὸς ὅλην τὴν ὑπόθεσιν
  7. θρῆνος

II. Consolatio et adhortatio (τὸ παραμυθητικὸν πρὸς ἅπαν γένος καὶ συμβουλή)[3]).

Neque vero in Menandri partitione acquiescere possumus, sed, ut melius structuram singulosque τόπους intellegamus,

[1]) J. Bauer, Die Trostreden des Gregorios v. Nyssa in ihrem Verhältnis zur antiken Rhetorik, diss. Marp. 1892, pg. 21 seqq.

[2]) Bauer l. c. pg. 6—29. Cf. etiam Fr. Vollmer, Laudationum funebrium Romanorum historia, in Annal. Fleckeis. nov. series XVIII (1892) pg. 445, qui omnes libros hanc materiam tractantes affert.

[3]) Hoc modo Menandri tractatus disponendus est. Cum in hoc tractatu non omnes τόποι clare perspiciantur, adhibendus est etiam prior tractatus, qui inscribitur βασιλικὸς λόγος (Spengel III 331).

necesse erit perquirere, quo modo dispositio haec orta sit, cui aut quibus autoribus singulae divisionis in ea adhibitae partes debeantur. Nam per se patet compositionem tam strictam tamque artificiosam non ab uno homine confectam esse, sed plurimos in illa constituenda elaboravisse. Atque primum dicendum est duas illas epitaphii partes, laudem et consolationem (adhortationem), omnium epitaphiorum communes esse: Thucydides, Pseudo-Lysias, Plato, Hyperides, Pseudo-Demosthenes, Dio Chrysostomus, Aristides, Themistius eas praebent[1]); supervacaneum igitur est diutius in hac re immorari. Sed maximam movet admirationem dispositio prioris partis epitaphii, quae laude completur. Cum autem ad intellegendam et Menandri dispositionem et Gregorii orationum funebrium structuram (quas dum explanamus, saepius ceterorum oratorum dispositiones rhetorumque praecepta tangere opus nobis erit), maximi momenti sit scire, quam vim et significationem unusquisque τόπος habeat et quo modo exstiterit, alienum non esse putavi in hanc rem investigare atque brevissime de compositione laudationum Graecarum disserere. Epitaphios vero illos, qui non ad singulos homines pertinent, sed ad milites in pugna mortuos (ut Thucydidis, Pseudo-Lysiae etc.), cum ad quaestionem nostram provehendam nihil fere attribuant, non nisi in transcursu tangam. Perquisitis igitur omnibus Graecorum laudationibus praeceptisque a rhetoribus datis conatus sum singularum dispositiones eruere, ut, quae ratio inter singulos scriptores intercederet, statuerem; nec acta me hac instituta disputatione egisse, cum iam Volkmannus[2]), Wendlandius[3]), Brunsius[4]), Leo[5]) rem per-

[1]) Caffiaux, De l'oraison funèbre dans la Grèce païenne. Valenciennes 1861.

[2]) R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer[2] 1885 pg. 314 seqq.

[3]) P. Wendland, Die Tendenz des Platonischen Menexenos (Herm. vol. XXV [1890] pg. 184 et Herm. XXXIX, [1904] 533).

[4]) Ivo Bruns, Das litterarische Porträt der Griechen im vierten und fünften Jahrhundert v. Chr. 1896.

[5]) F. Leo, Die griechisch-römische Biographie nach ihrer litterarischen Form 1901.

strinxerint, ipsa re probaturum me esse spero. Sed accedamus ad rem.

Quamquam Isocratis 'Euagoras', quem anno 374 confectum esse verisimile est, prima est laudatio in aequalem composita et ipse Isocrates hoc genus laudationum creavisse videtur, ut omnes fere viri docti consentiunt — nam quod Wilamowitzius contra dixit, mea sententia refelli potest [1] —, tamen accepimus, quod et ipse ille Isocrates testatur, poetas iam consuevisse aequalium virtutes praedicare [2]. Oratores vero vel res externas laudaverunt ut salem et apes [3] vel e fabulis antiquis argumenta laudationum sumpserunt [4]. Quaeritur igitur, quid Isocrates laudationibus poetarum et oratorum antecedentium debeat. Quod singillatim statuere perdifficile est, cum ea ipsa carmina, quae maxime cum Isocratis Euagora, quod argumentum attinet, consensisse probabile est [5] — dico Pindari ἐγκώμια quae vocantur —, ad nostram aetatem non pervenerint [6]. Sed per se ipsum patet, quod et ipsi videmus, nonnullos τόπους nonnullasque sententias, quas posteriores laudationes et Isocratis Euagoras praebent, iam in hymnis, in carminibus lyricorum, in orationibus Gorgiae ferri [7]. Ita ille τόπος γένους, quo eum, qui laudatur, originem a deis sumpsisse demonstretur, iam in hymnis invenitur [8], Pindarus saepissime eum adhibet [9],

[1]) Hermes XXXV (1900) pg. 533; vide infra pg. 10 not. 6.

[2]) Isocrat. Euag. § 9 seq.

[3]) Isocrat. Helen. § 11 cf. Cicero Brut. 12, 47: 'Gorgiam singularum rerum laudes et vituperationes scripsisse'.

[4]) Isocr. Euag. § 5 seqq. — Cf. Volkmann l. c. 317.

[5]) A. Croiset, La poésie de Pindare pg. 118. — O. Navarre, Essai sur la rhétorique grecque avant Aristote 1900 pg. 82.

[6]) Inter Isthmica alterum esse id carmen, quod hic fortasse memorandum sit Keilius monet.

[7]) Cf. Pseudo-Dionysii tractatum de oratione funebri VI, 1: καὶ τὰ ποιήματα μεςτὰ τούτων.

[8]) Cf. Menandri tractatum περὶ μυθικῶν Spengel l. c. III 338, 17.

[9]) Copiosissimam generis descriptionem legimus in Pyth. VI, ubi reges Cyrenaicos ab Argonautis originem ducere viginti quinque strophis demonstratur. Neque minor descriptio generis Theonis — quindecim genera erant —, quae in ἐγκωμίῳ Theonis inerat, fuisse videtur; ad quae cf. schol. ad Olymp. II 70 (Drachmann pg. 78) et schol. ad Olymp. II 16 et II 39.

Gorgias eum in laude Helenae usurpat eundemque in Achillis laudatione [1]) genealogiam herois praebuisse ex Aristotele perspicitur [2]).

Atque alias quoque sententias vel τόπους, ut laudem patriae vel legum civitatis, 'Euagoras' cum Pindari epiniciis et cum epitaphiis Atheniensium publicis communes habet [3]). Quamquam autem dubitari non potest, quin Isocrates multa debeat poëtis prioribus, quorum ipse carmina in 'Euagorae' prooemio commemorat [4]), tamen, cum illa carmina formam et structuram constantem aut ratam praebuisse non videantur, non crediderim ad illorum exemplum institutam eam esse compositionem, quam in 'Euagora' invenimus; immo ipsum Isocratem compositionis illius auctorem esse iudico.

Sed priusquam ad 'Euagoram' transeamus, quaeramus, quales fuerint laudationes, quae ante eum exstiterunt. Atque primum quidem commemoranda est Gorgiae laudatio Helenae [5]), quae constat e laude γένους et κάλλους, cui Isocrates suam Helenae [6]) laudationem opposuit, qua laudatur item γένος et κάλλος, e quo feminae δόξα secuta sit; sed novus τόπος adiungitur, quem rhetores τὰ μετὰ τὸν θάνατον vocant [7]), quo praemia, quae post mortem Helena adsecuta est, enarrantur.

[1]) Rhet. III 17, 1418 a 35 καὶ ὃ ἔλεγε Γοργίας, ὅτι οὐχ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος, τοῦτό ἐςτιν· εἰ γὰρ Ἀχιλλέα λέγει, Πηλέα ἐπαινεῖ, εἶτα Αἰακόν, εἶτα τὸν θεὸν κτλ. Non assentior Vahleno contendenti (Hermes X 455 seq.) hic exemplum fictum exstare.

[2]) Eodem tempore, quo historiographi scribunt genealogias, etiam apud Pindarum saepius genealogiae inveniuntur; quod illius saeculi est; nam ut in republica regenda ita in moribus et in ingeniis moderandis et excolendis populus nobilitatis heres factus.

[3]) Conferre licet quod Wilamowitzius de τόποις Theocriti encomii in Ptolemaeum exposuit in Textgeschichte der griechischen Bukoliker 1906, pg. 121.

[4]) Cf. quae aptissime exponit Lippelt quaestiones biographicae diss. Bonn. 1889 pg. 5 seqq.

[5]) Blaß, Die attische Beredsamkeit I 72, circa annum 393 hanc orationem habitam esse putat.

[6]) Blaß, l. c. II 244; verisimile est hanc orationem confectam esse paulo post Gorgiae eiusdem nominis laudationem.

[7]) Cf. Hermog., Spengel, rhet. graec. II 11.

'Helenae' gemella est Isocratis 'Busiris'[1]), cuius pars laudatoria constat e laude γένουc et πράξεων, quae simul cum virtutibus praedicantur. Videmus igitur omnes has laudationes nihil attribuisse ad constituendam aut amplificandam compositionem huius generis orationum. Omnium communis est descriptio γένουc, quam sequitur laus vel illius virtutis vel illorum factorum, quibus is, qui laudatur, palmam tulit. Haec est etiam prima quae invenitur dispositio epitaphiorum publicorum, de qua infra disseram.

Quae cum ita sint, revera prorsus novi aliquid praebuit prima laudatio in aequalem vel in hominem, qui non multo ante oratoris tempora fuit, dico Isocratis laudem Alcibiadis patris, quae inserta est orationi iudiciali, quae περὶ τοῦ ζεύγουc inscribitur (§ 25—41). Quae oratio anno 397 habita[2]), cum ad recte iudicandum 'Euagoram' plurimum valeat, fusius tractanda erit; miror autem, quod Leo eam vix commemoravit. Atque orator ipse proponit dispositionem § 24: ἐπιθυμῶ περὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῶν τοῦ πατρὸc διελθεῖν πρὸc ὑμᾶc μικρὸν προλαβὼν καὶ τῶν προγόνων ἐπιμνηcθείc; laudabit igitur orator γένοc et ἐπιτηδεύματα = facta; interposuit autem inter duas has partes laudem παιδείαc. Dispositio igitur haec est:

γένοc (§ 25—27)
παιδεία (§ 28)
πράξειc (post δοκιμαcίαν; § 29—41)
a) res eius bello Thracico gestae
b) matrimonium
c) victoriae eius Olympicae et λῃτουργίαι
d) quid in re publica gesserit
e) mors.

Quamquam dispositio huius orationis, quam orator poecthesi proponit, eosdem τόπουc praebet atque laudationes priores — nam laudantur γένοc et ἐπιτηδεύματα —, tamen compositio ea re ab illis differt, quod ἐπιτηδεύματα ex temporum ratione adornata sunt.

Videmus enim totum vitae cursum Alcibiadis ad temporum ordinem digestum narrari. Atque orditur orator a genere, sequitur pueri παιδεία et δοκιμαcία, post quas statim magnas res bello Thracico gesserit (§ 29). Quae pars cum insequenti, quae γάμον continet, iterum ita coniungitur, ut orator ex temporum ratione res enarret; transit enim verbis § 31 μετὰ δὲ ταῦτα; et eadem fere transitionis forma utitur, ut ad proximam partem perveniat, qua victoriae eius Olympicae et λῃτουργίαι proferuntur; haec enim in confinio partium posuit (§ 32): περὶ δὲ τοὺc αὐτοὺc χρόνουc. Post λῃτουργίαc vero praedicantur Alcibiadis in re publica res gestae, quas, ut in fine laudationis poneret, orator ea re commotus est, quod ei causa mortis fuerunt. Atque haec laudatio sola omnium illius aetatis laudationum eam dispositionem praebet, ut ordo rerum ad temporum rationem digestus tota oratione servetur neque praeter hunc aliud principium divisionis, quod vocamus, adscitum sit. Crediderim autem hunc rerum ordinem atque compositionem formam antiquissimam et primam esse orationum laudativarum, quas in scholis Isocratis tractatas esse vix negaveris, licet meras laudationes ante 'Euagoram' litteris consignatas aut editas esse infitieris; nam saepissime in orationibus iudicialibus et demonstrativis laudatione opus fuisse nemo negabit; quare discipuli in illis exercitandi fuerunt.

Quae si recte sunt disputata, facile explicatur, quomodo factum sit, ut epitaphii publici militibus mortuis consecrati inde a Menexeni Platonici exemplo ad structuram laudationum in singulos homines compositarum accommodarentur ex eaque amplificarentur, id quod viri docti adhuc non satis respexisse mihi videntur. Prima enim horum epitaphiorum forma e Thucydidis vel potius e Pseudo-Lysiae oratione funebri facile eruitur[1]): nam pars laudativa constat e laude maiorum, quorum facta ad tempora enumerantur et e laude mortuorum

[1]) Blaß, l. c. II 248; composita est oratio intra annos 393 et 390. Orationem non meram laudem esse voluit orator, sed coniunxit cum defensione cf. § 9: 'ἔπαινον καὶ ἀπολογίαν' et § 44, quia respondet Polycratis orationi, quem ἀπολογίαν Βουcίριδοc scripsisse e § 4 apparet.

[2]) Neque enim habeo, cur ab hoc anno discedam; iam ipsa orationis structura adducor, ut orationem posteriori aetati non tribuam.

[1]) Quam compositionem Gorgiae epitaphius habuerit, e fragmentis eius statui non potest. De qua oratione cf. F. Duemmler, Herm. vol. XXVII (1892) pg. 279.

ipsorum, ad quos oratio pertinet. Illam autem partem, dico laudem rerum a maioribus gestarum, Thucydides omisit sua sponte abscedens a ratione tradita[1]) substituitque laudem legum institutorumque rei publicae Atheniensium. Primam autem illam epitaphiorum dispositionem Plato auxit, qui mea quidem sententia compositione laudationum in singulos homines adductus τόπον παιδείας inseruit, ita ut dispositio epitaphiorum publicorum eadem evaderet atque laudationum in singulos homines[2]). Quem τόπον etiam posterioris aetatis epitaphii ut Hyperidis[3]) et PseudoDemosthenis[4]) exhibent[5]). Mihi igitur videtur dispositio illa laudationum, quam Isocratis in laude Alcibiadis praebuit, tum in omnium oratorum usu fuisse.

Quae sententia ea quoque re probari mihi videtur, quod quae huic aetati succedunt laudationes — Isocratis 'Euagoram' dico et 'Agesilaum' Xenophonteum — ad istius exemplum ab auctoribus exactae sunt, ut dispositione vel leviter immutata vel amplificata totius orationis digestio ac forma servata sit.

Isocratis enim 'Euagoras'[6]) hanc compositionem praebet:

1. γένος
2. γένεσις
3. ἀρεταί et πράξεις

[1]) Thucyd. II 36: 'ὧν ἐγὼ τὰ μὲν κατὰ πολέμους ἔργα . . . μακρηγορεῖν ἐν εἰδόσιν οὐ βουλόμενος ἐάσω'.

[2]) Platon. Menex. 237 A, B: 'τὴν εὐγένειαν οὖν πρῶτον αὐτῶν ἐγκωμιάζωμεν, δεύτερον δὲ τροφήν τε καὶ παιδείαν· ἐπὶ δὲ τούτοις τὴν τῶν ἔργων πρᾶξιν ἐπιδείξωμεν, ὡς καλὴν καὶ ἀξίαν τούτων ἀπεφήναντο'.

[3]) § 8: 'ἀλλὰ περὶ τῆς παιδείας αὐτῶν ἐπιμνησθῶ καὶ ὡς ἐν πολλῇ σωφροσύνῃ παῖδες ὄντες ἐτράφησαν καὶ ἐπαιδεύθησαν κτλ.'

[4]) Cf. § 27, quae dispositionem laudis continet: 'εἴρηται γένος, παιδεία, χρηστῶν ἐπιτηδευμάτων συνήθεια, τῆς ὅλης πολιτείας ὑπόθεσις κτλ.'

[5]) Me non fugit iam in Euripidis Suppl. v. 891 παιδείαν tangi, ubi poeta mortuos laudans de Parthenopaeo dicit:

παιδεύεται κατ' Ἄργος· ἐκτραφεὶς δ' ἐκεῖ κτλ.,

et in Pseudo-Lysiae epitaphio bis haec vox metaphorice adhibetur cf. § 3 et § 69. Neque vero apud hos τόπος proprius laudationis est neque apud poetas priores nunc invenitur.

[6]) Me cum omnibus fere viris doctis consentire 'Euagoram', primam laudationem in aequalem confectam esse iam supra dixi. Cogor

a) pueri

b) viri

α) quam iuste dominationem sibi comparaverit

β) tyrannus quid fecerit in pace (Conon)

γ) tyranni res in bello gestae

4. ἀνακεφαλαίωσις
5. μακαρισμός.

autem quaestionem hanc perstringere, cum Wilamowitzius nuperrime (in Hermae vol. XXXV 1900 pg. 533) demonstrare conatus sit iam ante 'Euagoram' tales orationes exstitisse. Tradit enim Aristoteles rhet. I 9, 1368 a 16: 'καὶ εἰ τὰ προτρέποντα καὶ τιμῶντα διὰ τοῦτον εἴρηται καὶ κατεσκευάσθη· καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη, οἷον εἰς Ἱππόλοχον, καὶ <δι'> Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι'. Hoc igitur nisus testimonio Wilamowitzius contendit Hippolochi illud πρῶτον ἐγκώμιον primam fuisse ex orationibus illis, quas laudativas vocamus, compositamque c. a. 400. Sed in hoc vir doctissimus errare mihi videtur, quod sumit ἐγκώμιον illud orationem laudativam hic significare; habet enim etiam vim epinicii. Quae significatio quod nunc apud nostrum Aristotelem non invenitur, inde facile explicatur, quod in eius quae exstant scriptis de epiniciis verba non fiunt (quod enim rh. II 11 1388 b 21 legitur: καὶ ὧν ἔπαινοι καὶ ἐγκώμια λέγονται ἢ ὑπὸ ποιητῶν ἢ λογογράφων certum iudicium non admittit). Sed usus est hac vi vocis Aristotelis aequalis Chamaeleo, qui Pindari epinicia, quae vocantur, ἐγκώμια appellat; tradit enim Athenaeus XIII 573 C seqq.: 'Πίνδαρός τε τὸ μὲν πρῶτον ἔγραψεν εἰς αὐτὸν (Xenophontem) ἐγκώμιον, οὗ ἡ ἀρχὴ "τρισολυμπιονίκαν ἐπαινέων οἶκον"', quod initium Olymp. XIII est (Schroeder, Pindar. 1900 fgm. 122; Boeckh, Pindari opera III 555 et Hiller, Die Verzeichnisse der Pindarischen Dichtungen, Hermae v. XXI [1886] pg. 355 seq.). Iam Xenophon eandem significationem voci attribuisse videtur, cum dicit in Agesil. X 3: ἐγκωμίων δὲ τί ἀξιώτερον ἢ νῖκαί τε αἱ κάλλισται καὶ ἔργα τὰ πλείστου ἄξια. Quin etiam apud Aristophanem ἐγκώμιον significat idem, quod nunc vocamus epinicium; dicit enim in Nub. v. 1205:

'ὥστ' εἰς ἐμαυτὸν καὶ τὸν υἱὸν τουτονὶ
ἐπ' εὐτυχίαισιν ᾀστέον μοὐγκώμιον.
"μάκαρ ὦ Στρεψίαδες
αὐτός τ' ἔφυς ὡς σοφὸς
χοἷον τὸν υἱὸν τρέφεις"
φήσουσι δή μ' οἱ φίλοι χοἱ δημόται
ζηλοῦντες ἡνίκ' ἂν σὺ νικᾷς λέγων τὰς δίκας.'

eiusdemque in „Tagenistis" eandem vim vox habere mihi videtur; legitur enim (fg. 491 Kock):

εἶτ' Ἰσθμιακὰ λαβόντες ὥσπερ οἱ χόροι
ᾄδωμεν εἰς τὸν δεσπότην ἐγκώμιον.

Oratio igitur ita disposita est, ut singuli τόποι vitae cursum sequantur usque ad aetatem virilem: laudantur enim γένος, γένεϲιϲ, aetas pueri, tum quo modo rerum potitus sit, narratur; sed hac re ab Alcibiadis laudatione differt, quod facta aetatis virilis non secundum tempora exhibentur, sed secundum res divisa sunt. — Quod singulos τόπουϲ attinet, Isocrates primus in hac oratione τόπον γενέϲεωϲ usurpat, quo exponitur, quos visus nocturnos, quae somnia mater habuerit, priusquam peperit[1]). Nova est etiam ἀνακεφαλαίωϲιϲ, quae dicitur, qua singula facta et virtutes, quas orator laudavit, breviter repetuntur[2]). Neque adhuc invenimus τόπον μακα-

Pindarum autem epinicia sua ὕμνουϲ vocasse verisimile est (C. A. Bapp, de fontibus quibus Athenaeus in rebus musicis lyricisque enarrandis usus sit, Leipz. Studien VIII 137). Quare vix dubitari potest, quin illo Aristotelis loco vox ἐγκώμιον idem significare possit, quod epinicium. Quod equidem puto. Constat enim inde a medio saeculo sexto Olympionicas statuis et ἐγκωμίοιϲ i. e. epiniciis honoratos et ornatos esse. Cf. etiam, quod Plinius in nat. hist. XXXVI 16 tradit. Sed ne longus sim, Aristoteles illo loco contendit in Hippolochum illum primum epinicium confectum esse. Nonne optime legitur Hippolochi nomen in epinicio? — Aliud accedit: Gorgiam firmam laudationum compositionem nondum novisse apparet ex eius laudatione Helenae. Quamquam enim ipse in fine orationis dicit se ἐγκώμιον scripsisse, tamen maior pars laudationis non laus, sed defensio Helenae est. Atque dudum viri docti observaverunt Isocratem ipsum in sua 'Helena' contra hanc laudationis compositionem pugnare (cf. Blaß l. c. I 72), cum dicit: τυγχάνει δ' ἀπολογίαν εἰρηκὼϲ ὑπὲρ τῶν ἐκείνῃ πεπραγμένων. ἔϲτι δ' οὐκ ἐκ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν οὐδὲ περὶ τῶν αὐτῶν ἔργων ὁ λόγοϲ, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον. Quo Isocratis iudicio clare perspicitur Gorgiam ratam aut constantem laudationis formam nondum novisse, neque habemus, cur dubitemus, quin et genus illud laudationum in aequales compositarum et forma ipsa ficta atque confecta sit ab Isocrate, quem credo non ausurum fuisse hanc inventoris gloriam sibi attribuere, nisi ipse auctor harum laudationum fuisset; nonne timere, debebat, ne adversarii, quos multos habebat, sibi obloquerentur? Quare assentior plane Leoni dicenti (l. c. pg. 91): 'Die Erfindung und Begründung dieses εἶδοϲ gehört dem Isocrates'. Cf. Blaß l. c. pg. 284; Bruns l. c. pg. 116; Lippelt l. c. pg. 8.

1) Cf. Menand. Rh. gr. III 371 Sp.

2) Blassii et Volkmanni sententiam e § 266 Panathen. Isocratis colligentium tales repetitiones a laudationibus alienas esse Lippeltius iam correxit (l. c. pg. 10).

ριϲμοῦ, quo Euagoras beatus praedicatur, quod et Fortuna semper fautrice usus et propter virtutes immortalitatem adeptus sit. Quam laudationis partem Isocrates ex orationibus funebribus sumpsisse mihi videtur. Thucydides et qui eius orationem funebrem imitatus est, auctor Menexeni, hanc sententiam nondum praebent; in Pseudo-Lysiae vero epitaphio, quem paulo post annum 387 confectum esse verisimile est[1]), ea primum invenitur. Qua ex oratione facile perspicitur μακαριϲμόν primitus partem consolationis fuisse (cf. §§ 77—80 et § 81), quam posteriores oratores paulatim copiosius elaboraverunt. Apud Pseudo-Lysiam enim haec pars non nisi leviter adumbrata est; posterioris vero temporis epitaphii fere omnes hunc τόπον exhibuisse videntur, si quidem ex Hyperidis atque personati Demosthenis orationibus iudicium ferre licet.

Isocratis autem compositionem laudationum auxit et amplificavit Xenophon, cuius 'Agesilaus'[2]) hanc dispositionem praebet: 1) εὐγένεια et πόλιϲ; 2) πράξειϲ; 3) ἀρεταί; 4) μακαριϲμόϲ; 5) ἀνακεφαλαίωϲιϲ. Atque primum nihil offensionis habet, quod scriptor facta virtutesque aetatis virilis solum tractat omissis eis partibus, quae τόπουϲ γενέϲεωϲ et παιδείαϲ continent; quas Xenophon, cum ingenium atque mores clarissimi illius viri laudare ceterisque hominibus quasi exemplum proponere vellet, leviores esse putabat[3]). — Cum 'Euagora' communes habet non solum μακαριϲμόν et ἀνακεφαλαίωϲιν, sed etiam quod facta, ut in compositione illa pristina, ex temporum ordine enumerantur; tamen ea re ab Isocrate et praecedentibus laudationibus differt, quod facta et virtutes non coniunctim, sed seorsim tractantur. Videmus igitur in laudationibus tum virtutes tantum valuisse, ut earum laudi τόποϲ proprius attribueretur. Quae res non separari potest a studiis illius aetatis philosophorum, qui a Socratis disciplina profecti animum virtutesque hominis

1) Blass l. c. I 436. Cf. Duemmler, Hermae vol. XXVII (1892) pg. 282 not. 2.

2) Leo l. c. pg. 90; Bruns l. c. pg. 126; Lippelt l. c. pg. 13.

3) Neque consentio Lippeltio dicenti ea de causa scriptorem corporis mentionem non facere, quod Agesilaus χωλὸϲ et βραχὺϲ τὸ ϲῶμα fuisse dicebatur. Sed cur παιδείαν non commemorat?

perscrutari coeperant. Neque vero eaedem virtutes in laudationibus occurrunt neque eae eiusdem generis; propositis exemplis facile ipse videbis, quae hic inveniantur differentiae quaeque differentiarum causae fuerint: cum enim Thucydidis epitaphius non nisi eas virtutes tangat, quas cives in rem publicam praebere debent, fortitudinem dico et oboedientiam legum, in Gorgiae epitaphio[1]) et in Euripidis[2]) laude virorum in pugna mortuorum non cives, sed homines depinguntur. In Pseudo-Lysiae epitaphio praeter fortitudinem semper τὸ δίκαιον praedicatur,[3]) apud Platonem Socraticae virtutes laudantur[4]). Atque summi momenti est scire, quem locum Isocrates virtutibus in laudationibus attribuerit: in prima eius laudationum (in Alcibiadem) virtutem vix perstringit, singula facta enarrantur et ipse se ἐπιτηδεύματα i. e. facta laudare velle dicit[5]). Sed iam in sequenti laudatione Busiridis, quae intra annos 393 et 390 conscripta est, cum factis virtutes coniungit[6]) et in Euagorae laude se virtutem Euagorae praedicare velle ipse dicit, ita ut facta non nisi testimonia sint, ex quibus virtutes cognoscantur[7]). Xenophon denique propriam partem laudi virtutum dedit; quae compositio Xenophontea multum apud

[1]) Liceat singulas in Gorgiae epitaphio virtutes exstantes afferre: τὸ πρᾶον ἐπιεικὲς τοῦ αὐθάδους δικαίου προκρίνοντες — θεραπεύοντες δυστυχούντων — αὐθάδεις πρὸς συμφοράν — εὐόργητοι πρὸς πρέπον — κόσμιοι εἰς κοσμίους — σεμνοὶ πρὸς θεούς — ὅσιοι πρὸς τοὺς τοκέας τῇ θεραπείᾳ — δίκαιοι πρὸς τοὺς ἀστούς — εὐσεβεῖς πρὸς τοὺς φίλους ἐν πίστει. Cf. etiam Aristotelis iudicium polit. III 13, 1160 a 25: ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετὰς ὥσπερ Γοργίας. Cf. J. Duemmler Herm. vol. XXVII (1892) pg. 282.

[2]) Suppl. 857 seqq.

[3]) Cf. §§ 10, 12, 14, 17, 19, 61.

[4]) Cf. cp. 19, 20. Quadripertitae, quae dicitur, virtutis Socraticae primum exemplum inveniri in 'Septem' Aeschylea monet B. Keil, ubi v. 610 ita Amphiaraum laudari: σώφρων δίκαιος ἀγαθὸς εὐσεβὴς ἀνήρ; fortis enim ἀγαθός.

[5]) Vide supra pg. 11.

[6]) Isocr. Bus. § 10: 'οὐκ ἐπὶ τούτοις μόνοις μέγ' ἐφρόνησεν, ἀλλ' ᾠήθη δεῖν καὶ τῆς ἀρετῆς τῆς αὑτοῦ μνημεῖον εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον καταλιπεῖν'.

[7]) Cf. Euag. § 10: '<ἀρετὰς> ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων ῥᾴδιον καταμαθεῖν et τεκμήριον τοῦ τρόπου καὶ τῆς ὁσιότητος κτλ'.

oratores subsequentes valuisse videtur, cum Isocrates ipse eam in laude Timothei (XV 106 seqq.) imitatus sit[1]). Ceteras autem huius aetatis laudationes, ut Isocratis in Agamemnonem (Panathen. §§ 70—87)[2]) et in Herculem (V 109 seqq.) vel Xenophontis eam quam 'institutioni Cyri'[3]) inseruit, cum ad amplificandam vel constituendam novam formam nihil attribuerint, praetereo.

Missis igitur ipsis laudationum exemplis ad artes illas transeamus, quibus praecepta, ad quae laudationes conformandae rhetoribus videbantur, nobis traduntur, quarum prima nobis conservata est illa ars, quae Anaximenis nomen praeclarum prae se fert, c. a. 340 confecta[4]). Cuius auctor quamquam quae de encomiis praecipit ad Isocratis 'Euagorae' exemplum exstruit, tamen novum divisionis principium, quod vocamus, sequitur.

Dispositio enim eius haec est:

I. Prooemium: docilem, benevolum, attentum facere auditorem oportet.

[1]) Cf. Leo l. c. pg. 92; cf. etiam Isocrat. laudem in Herculem (V 109): 'Περὶ τοίνυν Ἡρακλέους οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἀνδρίαν ὑμνοῦντες αὐτοῦ καὶ τοὺς ἄθλους ἀπαριθμοῦντες διατελοῦσιν, περὶ δὲ τῶν ἄλλων τῶν τῇ ψυχῇ προσόντων ἀγαθῶν οὐδεὶς οὔτε τῶν ποιητῶν οὔτε τῶν λογοποιῶν οὐδεμίαν φανήσεται μνείαν πεποιημένος. ἐγὼ δ' ὁρῶ μὲν τόπον ἴδιον καὶ παντάπασιν ἀδιεξέργαστον, οὐ μικρὸν οὐδὲ κενόν, ἀλλὰ πολλῶν μὲν ἐπαίνων καὶ καλῶν πράξεων γέμοντα κτλ.'; cf. etiam § 144.

[2]) Cf. Leo l. c. pg. 82.

[3]) Cf. Leo l. c. pg. 92.

[4]) Spengel ed. Turici 1844 = Lips. 1847; Spengel-Hammer, rhet. graec. I 2, 79. De scriptis in Anaximenis artem vide Susemihl, Geschichte der griechischen Literatur in der Alexandrinerzeit II 451 seqq. et Ipfelkofer, Die Rhetorik des Anaximenes, diss. Virceb. 1889. — Supersedeo omnes, quae de tempore huius artis prolatae sunt, sententias repetere; satis habeo, quae nunc exstant, significare: atque Susemihl et Thiele libellum inter Aristotelem et Hermagoram scriptum esse putant, Ipfelkofer vero dicit eum ante Aristotelem confectum esse, e cuius arte a posteris partes quaedam interpolatae essent. Mihi maxime probatur, quod post Wilamowitzium (Herm. XXXIV [1899] 618 seq.) nuper Wendlandius (Herm. vol. XXXIX [1904] pg. 419 seqq. et 449 seqq.) accuratissime rem disquirens statuit artem circa annum 340 esse scriptam eiusque auctorem Anaximenem Theodecteam illam artem novisse.

II. Laus:
  1. bonorum externorum
    a) γενεαλογία
    — — — —[1])
  2. bonorum animi
    a) παιδός (cώφρων καὶ κόcμιοc)
    b) νεανίου (ἔργα, τρόποc, ἐπιτηδεύματα)
    c) ἀνδρὸc (δικαιοcύνη, cοφία, ἀνδρία, quae virtutes cum factis coniungendae sunt).
  3. παλιλλογία

III. Epilogus: γνώμη καὶ ἐνθύμημα.

Cuius dispositionis, si singulos τόπουc consideramus, Anaximenem, quamquam Isocratis 'Euagora' nititur, tamen non pauca mutavisse aut amplificavisse videmus. Utrumque enim scriptorem et in definitione laudationum consentire et vocem γενεαλογίαν eodem sensu usurpare iam Wendlandius[2]) demonstravit; deinde omittit uterque τόπουc γενέcεωc et παιδείαc; tum, ut apud Isocratem, ita apud alterum tres Socraticae illae virtutes ἀνδρεία, cοφία, δικαιοcύνη aetati virili, cωφροcύνη, quae in enumeratione virtutum initio cp. 35 tractatus Anaximenei non exstat, pueritiae adscribitur; denique repetitio illa virtutum vel factorum, quam Anaximenes παλιλ-

[1]) Recte iam Sauppius (Philolog. XV 631) lacunam hoc loco hiare statuit, cum cetera bona externa (ῥώμη, κάλλοc, πλοῦτοc), quas in partitione bonorum protulit Anaximenes, in dispositione non commemorentur.

[2]) 'μετὰ δὲ τὸ προοίμιον δεῖ διελόμενον τὰ ἔξω τῆc ἀρετῆc καὶ τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ ὄντα ποιεῖν οὕτωc· τὰ μὲν ἔξω τῆc ἀρετῆc εἰc εὐγένειαν καὶ ῥώμην καὶ κάλλοc καὶ πλοῦτον, τὴν δ' ἀρετὴν εἰc cοφίαν καὶ δικαιοcύνην καὶ ἀνδρείαν καὶ ἐπιτηδεύματα ἔνδοξα. τούτων δὲ τὰ μὲν τῆc ἀρετῆc δικαίωc ἐγκωμιάζεται, τὰ δ' ἔξω κλέπτεται· τοὺc γὰρ ἰcχυροὺc καὶ τοὺc καλοὺc καὶ τοὺc εὐγενεῖc καὶ τοὺc πλουcίουc οὐκ ἐπαινεῖν, ἀλλὰ μακαρίζειν προcήκει. ταῦτα δὴ διαλογιcάμενοι κτλ'. Haec verba in proecthesi auditoribus proferenda esse Anaximenes nullo pacto dicere voluit, quam interpretationem loci Wendlandius admittere videtur, cum dicit (l. c. pg. 533): 'Ob der Redner die διαίρεcιc stillschweigend der folgenden Lobrede zugrunde legen oder sie in einer προέκθεcιc den Hörern vorlegen soll, scheint Anaximenes absichtlich in der Schwebe zu lassen'; an putamus oratorem apud auditores ausum esse dicere bona externa iure non laudari (τὰ ἔξω κλέπτεται)?

λογίαν vocat, in fine orationis invenitur, ut apud Isocratem. Huius autem compositionem ea re Anaximenes auxit, quod post laudem pueritiae laudem adulescentiae inseruit. Deinde laudem aetatis virilis divisit in singulas virtutes, ad quas facta et opera accommodavit; quam laudis formam omnes fere rhetores posteriores praebent. Quibus Isocrates, cum in 'Euagora' primam laudationis formam mutaret, ita viam muniverat, ut facta aetatis virilis non secundum tempora, sed res disponeret. — Prorsus vero novam disponendi rationem sequitur Anaximenes, qua ab omnibus oratoribus et rhetoribus antecedentibus differt. Neque enim facta laudanda esse docet, sed bona externa (τὰ ἔξω τῆc ἀρετῆc) et virtutes (τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἀρετῇ)[1]). Quae bonorum partitio in usu philosophorum illius aetatis fuisse videtur. Vehementer autem errat Ipfelkofer, qui contendit hanc partitionem ex Aristotele sumptam esse, cum Aristoteles materiam nusquam in duo illa bonorum genera partiatur[2]); neque tripertita illa divisio, quam Anaximenes in primo tractatus capite praebet (cῶμα, ψυχή, ἐπίκτητα), Aristoteli soli attribuenda est, quod etiam Wendlandius significare videtur (Herm. XXXIX [1904] 533), cum iam apud Platonem inveniatur[3]). Iterum igitur videmus argumentum atque formam laudationum prorsus pendere ab iis, quae quaque aetate florebant, studiis philosophicis.

[1]) Spengel-Hammer, rhet. graec. I 2, 80, 11.

[2]) In duas alias partes dirimit bona Aristoteles rhet. I 5, 1360 C 23: 'οὕτω γὰρ ἂν αὐταρκέcτατοc εἴη, εἰ ὑπάρχοι αὐτῷ τά τ' ἐν αὐτῷ καὶ τὰ ἐκτὸc ἀγαθά· οὐ γάρ ἐcτιν ἄλλα παρὰ ταῦτα. ἔcτι δ' ἐν αὐτῷ μὲν τὰ περὶ ψυχὴν καὶ τὰ ἐν cώματι, ἔξω δ' εὐγένεια κτλ.'.

[3]) Cic. Tuscul. V 30: 'tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus'. Tripertitam divisionem praebet Plat. legg. III 667 B c: 'ἀγαθὰ περὶ τὴν ψυχήν, περὶ τὸ cῶμα, περὶ τὴν οὐcίαν'; atque in duas partes dividit bona idem autor legg. I 631 B: 'τὰ ἀνθρωπινά· ὑγίεια, κάλλοc, ἰcχύc, πλοῦτοc, τὰ δὲ θεῖα· φρόνηcιc, cώφρων ἕξιc, δικαιοcύνη, ἀνδρία'; cf. epist. VII 355 B et Diog. Laert. III 80; Zeller, Geschichte der griech. Philosophie[4] II 437 seqq. Quae divisio per omne sequens tempus valuisse videtur. Nicolaus rhetor e Platonis Phaedro se eam novisse dicit, ubi non exstat (Spengel, rh. gr. III 477 cf. infra pg. 31). Invenitur autem apud Aphthonium (cf. infra pg. 30) et Syrianum (Walz, rhet. graec. IV 738.)

Sed quamquam compositio laudationum Anaximenea partitione bonorum continetur, tamen rhetorem in illis disponendis ordinem temporum observare studuisse apparet. Nam primum quidem laudi bonorum externorum (γένος, κάλλος, ῥώμη), a quibus omnis laudatio ex temporum ratione disposita initium capit, primum dispositionis locum attribuit; tum laudem virtutum ipsarum ad tres illas aetates accommodavit; accedit, quod in vituperatione ipse se βίον διεξιέναι velle dicit [1]). Deprehendimus igitur Anaximenem duas laudationum componendarum rationes, quarum altera vitam factaque e ordine temporum profert — quae est pristina illa —, altera ad philosophorum doctrinam accommodata secundum virtutes vel bona laudem disponit, in unum redigere conatum esse. Qua in re rhetores posteriores eum secuti sunt studueruntque difficultatibus, quas coniunctio rationum illarum plane diversarum afferebat, paulatim mederi: quod quomodo instituerint infra videbimus.

Xenophontis autem schema inde ab illo tempore oblivione plane obrutum esse videtur; 'Agesilai' enim compositionem oratores et rhetores secutos non esse inde apparet, quod Iulianus, qui denuo virtutes et facta seorsim tractat, se primum hanc partitionem adhibuisse gloriatur [2]). Iuliani denique partitio inde a medio quarto post Christum saeculo iterum in usu fuisse videtur; duae enim Gregorii Nazianzeni orationes funebres ad eam compositae sunt, de qua re in explanandis eius orationibus fusius agam.

Anaximenem sequitur Aristoteles; ad quem cum transeo, hoc praemoneo, illius artem ad mutandam augendam explicandam laudationum compositionem nihil attribuisse: laudationes posteriores dispositionesque rhetorum eandem quam nunc formam praeberent, etiamsi philosophi ars non exstitisset. Attamen plane eius artem praeterire non licet, quia singula commemorare expedit, quae in hac disceptatione omittere nequeo [3]).

[1]) Spengel-Hammer, rhet. graec. I 2, 84, 8: 'δεῖ δὲ μὴ σκώπτειν, ὃν ἂν κακολογῶμεν, ἀλλὰ διεξιέναι τὸν βίον' dicit de 'vituperatione'.

[2]) Oratio in Constant. imp. 4 CD (p. 5 Hertlein).

[3]) Mihi proposueram hoc loco copiosius disserere, quae ratio inter Anaximenem et Aristotelem, quod utriusque praecepta de genere demonstrativo attinet, intercederet. Wendlandii vero dissertatione de Anaximene nuperrime edita (Herm. vol. XXXIX 1904) mea de hac re disceptatio, quam ad finem perduxeram, supervacanea facta est.

Ac primum quidem Aristoteles tria illa genera orationum distinguit, genus deliberativum, quod τὸ σύμφερον, genus iudiciale, quod τὸ δίκαιον καὶ ἄδικον, genus demonstrativum, quod τὸ καλὸν καὶ αἰσχρόν sequitur [1]). Anaximenes vero solum genus deliberativum et iudiciale novit. Apud Aristotelem igitur ἔπαινος et ψόγος uni generi, nempe demonstrativo, subiunguntur, cum Anaximenes duo εἴδη libera praebeat, εἶδος ἐγκωμιαστικόν καὶ ψεκτικόν. — Cum Isocrates et Anaximenes doceant eis, qui laudantur, etiam tales virtutes, quae eis non sunt, affingi ab oratore posse (Anaximenes, Spengel-Hammer I, 2 pag. 28, 2: 'λόγων ἐνδόξων αὔξησις καὶ μὴ προσόντων συνοικείωσις' et Isocr. Busir. 4: 'δεῖ τοὺς μὲν εὐλογεῖν τινας βουλομένους πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖς προσόντ' ἀποφαίνειν'), Aristoteles docet rhet. I 9, 1368 a 27: 'τὰς γὰρ πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνουσιν, ὥστε λοιπὸν μέγεθος περιθεῖναι καὶ κάλλος'. Licet quidem etiam per eum ea vitia, quae virtutibus propinqua sunt, virtutes facere ita, ut audacem fortem vel prodigum liberalem vocemus, neque vero docet virtutes, quae desunt hominibus laudandis, affingere eis licere.

Deinde Aristoteles tria genera laudationum distinguit, quorum unum est ἔπαινος, alterum ἐγκώμιον, tertium μακαρισμός (εὐδαιμονισμός). Ἔπαινος est laus virtutum [1]), ἐγκώμιον laus operum et factorum [2]), μακαρισμός beatificatio [3]). Haec tria genera in Xenophontis 'Agesilao' coniuncta inveniuntur, quo primum opera, tum virtutes laudantur, quas μακαρισμός sequitur. Verisimile igitur est iam ante Aristotelis artem unam-

[1]) Arist. rh. I 9, 1367 b 27: 'ἔστιν δ' ὁ ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς. δεῖ οὖν τὰς πράξεις ἐπιδεικνύναι ὡς τοιαῦται'.

[2]) 'ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστίν .. διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας'. Simili modo Plutarchi βίος ab historia differt, cum alter τὸ ἦθος, altera τὰς πράξεις illustret; cf. Leo l. c. pg. 147.

[3]) μακαρισμὸς δὲ καὶ εὐδαιμονισμὸς αὐτοῖς μὲν ταὐτά, τούτοις δ' οὐ ταὐτά, ἀλλ' ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τὴν ἀρετήν, καὶ ὁ εὐδαιμονισμὸς περιέχει ταῦτα. Εὐδαιμονισμός apud Philonem genus proprium carminum est. cf. I 664: 'ἐπαίνων, ἐγκωμίων, ὕμνων, εὐδαιμονισμῶν'; cf. etiam I 488m; I 625m; II 246m.

quamque partem per se tractari coeptam esse[1]) locosque, qui oratorum usu et arte seorsim exculti erant, a philosopho certa ratione coniuncta atque digesta esse. Et credo hanc meam animadversionem esse alicuius momenti ad recte aestimandum libellum Xenophonteum.

Voce μακαριcμοῦ autem Aristoteles omnia complectitur, quae εὐδαιμονίαν efficiunt; quam cum non solum virtutibus et bonis animi, sed etiam bonis externis contineri doceat[2]), congruit cum Xenophonte[3]). Apud Isocratem[4]) vero et Anaximenem[5]) μακαριcμόc non nisi ad bona externa pertinet. Aristoteles igitur hac re non consentit cum Anaximene, id quod Wendlandius credere videtur[6]).

In descriptione εὐγενείαc et Aristotelem et Anaximenem ad veteres doctrinas recedere idem dicit Wendlandius[7]). Quod non probo. Anaximenes enim, postquam exposuit eos solos maiorum, qui clari boni probi fuerint, laudandos esse[8]),

[1]) Haec laudationum partitio saepius apud Aristotelem occurrit cf. Eth. Nic. I 12, 1101 b 10; Eth. Eud. II 1, 1209 b 13; Magn. Mor. I 1183 b 20—35.

[2]) Rhet. I 5; Eth. Eud. I 1; Cic. Tuscul. V 30.

[3]) Ages. X, 4: 'δικαίωc δ' ἂν ἐκεῖνόc γε μακαρίζοιτο, ὃc εὐθὺc μὲν ἐκ παιδὸc ἐραcθεὶc τοῦ εὐκλεὴc γενέcθαι ἔτυχε τούτου μάλιcτα τῶν καθ' ἑαυτόν. φιλοτιμότατοc δὲ πεφυκὼc ἀήττητοc διετέλεcεν, ἐπεὶ βαcιλεὺc ἐγένετο. ἀφικόμενοc δὲ ἐπὶ τὸ μήκιcτον ἀνθρωπίνου αἰῶνοc ἀναμάρτητοc ἐτελεύτηcε καὶ περὶ τούτουc, ὧν ἡγεῖτο, καὶ πρὸc ἐκείνουc, οἷc ἐπολέμει'. Item in Pseudo-Xenophontis Cyn. I 11: 'Ἱππόλυτοc cωφροcύνῃ καὶ ὁcιότητι μακαριcθεὶc ἐτελεύτηcεν.

[4]) Euag. § 70 seqq.: 'Εὐαγόραc δ' οὐ μόνον θαυμαcτότατοc, ἀλλὰ καὶ μακαριώτατοc ἐξ ἀρχῆc, ὧν διετέλεcεν. τί γὰρ ἀπέλιπεν εὐδαιμονίαc κτλ.', et numerat in bonis: maiores, bona corporis, prudentiam, dominationem, gloriam immortalem, longam vitam, valetudinem, liberos bonos multos felices.

[5]) Cp. 35: 'τοὺc γὰρ ἰcχυροὺc καὶ τοὺc καλοὺc καὶ τοὺc εὐγενεῖc οὐκ ἐπαινεῖν, ἀλλὰ μακαρίζειν προcήκει'. Miratus sum, quod eadem distinctio occurrit apud scriptorem quinti post Christum saeculi Synesium (περὶ βαcιλείαc 4 A): 'ἕτερον ἑκάτερον μακαριcμὸc καὶ ἔπαινοc. Μακαρίζεται μὲν γάρ τιc ἐπὶ τοῖc ἔξωθεν, ἐπαινεῖται δὲ ἐπὶ τοῖc ἔνδοθεν ... κἀκεῖνο μέν ἐcτι τύχηc ἀτέκμαρτον δῶρον, τοῦτο δὲ γνώμηc οἰκεῖον ἀγαθόν'.

[6]) Herm. vol. XXXIX (1904) 534.

[7]) Herm. vol. XXXIX (1904) 534.

[8]) Cf. Anaxim. I 2 pg. 81, 22; Aristot. rhet. I 5, 1360 b et II 15.

adiungit: ἐὰν δὲ μηδὲν ἀπὸ τῶν προγόνων ἔνδοξον ὑπάρχῃ λέγε ὡc αὐτόc ἐcτι γενναῖοc, cυμβιβάζων ὡc εὐ γεγόναcι πάντεc οἱ πρὸc τὴν ἀρετὴν εὖ πεφυκότεc. Aristoteles autem hanc Cynicorum[1]) sententiam non modo non amplexus est, sed etiam contra eam pugnavit. Nam ex rhet. II 23, 1398 a 16 nihil colligere possumus nisi Iphicratis hanc sententiam Aristotelem novisse. Quid vero ipse εὐγένειαν intellexerit, clare dicit rhet. II 15, ubi eam vocat ἐντιμότητα προγόνων et in fgm. 94, 19 (Rose[3]): Εὐριπίδηc οὐχὶ τῶν ἐκ πάλαι cπουδαίων εὐγένειαν φάμενοc εἶναι, ἀλλ' ὅcτιc ἀνὴρ ἀγαθὸc ἁπλῶc· τὸ δὲ οὐκ ἔcτιν.

Quas duo post Aristotelis aetatem saecula tulerunt artes, omnes perierunt; sed quamvis multae fuerint — atque necesse est magnam illarum copiam tum pro florentibus eloquentiae studiis effloruisse —, tamen rhetorum de laudationibus componendis praecepta tanto spatio intermisso haud ita graviter immutata sunt. Quod efficitur e Cornificii arte[2]), quae una cum Ciceronis[3]), Quintiliani[4]), Theonis[5]) artibus tractanda est; nam omnium illorum praecepta signis Stoicorum philosophiae clare notata et consignata inter se arte conhaerent. Cornificii igitur dispositio laudationum haec est:

I. Prooemium, quo reddat orator auditores attentos dociles benevolos.

II. Laus fit
   1. propter res externas
      a) genus
      b) educationem
   2. propter corporis commoda
      a) dignitatem ac formam
      b) vires et velocitatem
      c) valetudinem

[1]) Immisch, Comment. philol. in O. Ribbeck 1888 pg. 84; Wendland l. c. pg. 534.

[2]) Cornificius (sive autor ad Herennium) III 6, 10.

[3]) Cf. inprimis partit. orat. 22, 74; alios locos vide infra pg. 22 not. 2.

[4]) Inst. orat. III 7.

[5]) Spengel, rhet. graec. II 109 seqq. — Cf. Hoppichler De Theone, Hermogene Aphthonioque progymnasm. scriptoribus, diss. Virceb. 1884. — Thiele, Hermagoras pg. 5 adn. 1. — Wilamowitz, Herm. vol. XXXV 1900 pg. 6.

3. in animi virtutes, quae apparent
   a) ex bono usu externarum rerum
   b) ex iis quae facta sunt
      α) iuste β) modeste
      γ) fortiter δ) prudenter

III. Conclusio.

Clare perspicimus hanc compositionem proficisci ex Anaximenis arte. Uterque enim rhetor disponit secundum bona, quorum Anaximenes duas, Stoici illius aetatis tres species distinxerunt[1]). Eadem ratione partiuntur laudationem secundum bona externa, bona corporis, bona animi etiam Cicero[2]), Quintilianus[3]), Theo[4]). Hac vero re Stoicorum laus virtutum

[1]) Primi Stoicorum philosophi nihil nisi virtutem bonum esse contenderunt, cetera mala esse. Posteriores vero inter bona illa et mala inseruerunt ἀδιάφορα vel οὐδέτερα (Diog. Laert. VII 102: 'ἀγαθά εἰσιν αἱ ἀρεταὶ, φρόνησις, δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη [Socraticae virtutes], οὐδέτερα ζωή, ὑγίεια, ἡδονή, κάλλος, ἰσχύς, πλοῦτος, εὐδοξία, εὐγένεια'.) Posidonius autem et Panaetius docuerunt etiam singulas res externas in bonis numerandas esse (Diog. Laert. VII 128): 'ὁ μέντοι Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐτάρκη λέγουσι τὴν ἀρετήν, ἀλλὰ χρείαν εἶναί φασι καὶ ὑγιείας καὶ ἰσχύος καὶ χορηγίας' (= πλούτου cf. A. Dyroff l. c. pg. 256); distinxerunt igitur virtutem a bonis externis. Stoicos autem tripertitam quoque illam bonorum partitionem novisse apparet e Diog. Laert. VII 106 (= Arnim, Stoicorum veterum fragmenta III fr. 135) et e Stobaei eclog. II 80 (Wachsm. = Arnim l. c. III fr. 136), ubi τὰ προηγμένα dividuntur in τὰ τῆς ψυχῆς, τὰ τοῦ σώματος, τὰ ἐκτός. Singula tangit A. Dyroff, Die Ethik der alten Stoa (1897, Berliner Studien II).

[2]) Cic. de invent. II 59: 'partiatur in animum et corpus et extrarias res licebit'. Idem vide in libr. de orat. II 29, 115; part. orat. 22, 74; 11, 38; Tuscul. V 30; Topic. 23, 89.

[3]) Quint. inst. orat. III 7, 12: 'ipsius vero laus hominis ex animo et corpore et extra positis peti debet'.

[4]) Spengel, rh. gr. II 109 seqq.: 'ἐπεὶ δὲ τὰ ἀγαθὰ μάλιστα ἐπαινεῖται, τῶν δὲ ἀγαθῶν τὰ μὲν περὶ ψυχήν τε καὶ ἦθος, τὰ δὲ περὶ σῶμα, τὰ δὲ ἔξωθεν ἡμῖν ὑπάρχει κτλ'. In divisione bonorum et Cicero (de inv. II 59 etc.) et Quintilianus (inst. or. III 7. 12) et Theon (Spengel, rh. gr. II 108, 28) semper virtutes primo loco ponunt, quas sequuntur bona corporis, deinde bona externa; in dispositione vero laudationis idem rhetores (part. orat. 22, 74; inst. or. III 7, 12, Spengel, rh. gr. II 110 seq.) inversum τόπων ordinem adhibent. — Tertiae laudationis parti, quae virtutes laudat, Cicero nomen dedit factorum (part.

ab Anaximenea differt, quod hic eas secundum aetates disposuerat (τὰ πρέποντα ταῖς ἡλικίαις), ita ut in pueritia σωφροσύνη[1]) in adulescentia ἐπιτηδεύματα ἔνδοξα, in aetate virili ἀνδρία σοφία δικαιοσύνη demonstrarentur, Stoici secundum quattuor illas virtutes Socraticas orationem componunt: praescribunt enim hanc partitionem praeter Cornificium, ut illud schema docet, etiam Cicero (part. orat. 22, 74: 'multa et varia facta in propria virtutum genera sunt digerenda'), Quintilianus (III 7, 15: 'in species virtutum dividere'), Theo (Spengel rh. gr. II 110, 8; 112, 5: 'ἔπειτα τὰ ἔργα διεξιόντες, οἷον ὅτι ἦν σώφρων, προλέγειν καὶ ἐπιφέρειν εὐθύς, τί αὐτῷ σωφρονητικὸν ἔργον πέπρακται, ὁμοίως ἐπὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν'[2]).

Atque hac re hi quattuor scriptores consentiunt, quod docent eum qui bona externa habeat laudandum non esse,

orat. 22, 74), 'quae ad cuiusque virtutis genus ... accomodabuntur' (de oratore II 85, 345), similiterque Theo docet πράξεις καὶ κατορθώματα laudanda esse (Spengel, rh. gr. II 112, 3, ad quem locum cf. etiam Spengel, rh. gr. II 110, 7, ubi idem rhetor dicit: 'ψυχικὰ δὲ ἀγαθὰ τὰ σπουδαῖα ἠθικὰ καὶ <αἱ> τούτοις ἀκολουθοῦσαι πράξεις'), quae sententia iterum Stoicorum est; de Stoicis enim dicit Sextus adv. math. XI 46 (= Arnim l. c. III fr. 96): καὶ δὴ περὶ μὲν ψυχὴν εἶναί φασι τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς σπουδαίας πράξεις.

[1]) Σωφροσύνη laudi pueritiae attribuitur iam ab Isocrate (Euag. § 22), item ab Hyperide (epitaph. § 8) et Pseudo-Demosthene (Epit. § 3).

[2]) Cum Cornificius et Theo non nisi eam huius partis structuram commemorent, qua facta secundum virtutes disponuntur, Cicero et Quintilianus admittunt etiam ordinem factorum temporibus distinctum. Cicero enim dicit part. or. 22, 74: 'Prima sunt externa, quae ducuntur a genere ... deinceps de fortunis erit et facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis; in quibus quidem, quae virtutem maxime significat, facillime forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum, quorum collocatio triplex est: aut enim temporum servandus est ordo, aut in primis recentissimum quodque dicendum aut multa et varia facta in propria virtutum genera sunt digerenda'. Et Quintilianus inst. orat. III 7, 15: 'Animi semper vero laus, sed non una per hoc opus via ducitur; namque alias aetatis gradus gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit, ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinae, post hoc operum, id est factorum dictorumque contextus: alias in species virtutum dividere laudem, fortitudinis, iustitiae, continentiae, ceterarumque ac singulis adsignare, quae secundum quamque earum gesta erunt. Utra sit autem harum via utilior etc.'

nisi bene ac sapienter iis usus sit[1]). Haec sententia mere Stoica est. Neque putamus hos quattuor scriptores ad locum illum Aristotelis, si quidem est Aristotelis, recedere, qui semel eandem sententiam quasi in transcursu perstrinxit; dicit enim (magn. moral. I 2, 1183 b 30): ʽἀρχή, πλοῦτοϲ, ἰϲχύϲ, κάλλοϲ ἀγαθὰ μὲν δή ἐϲτιν. (δοκιμάζεται γὰρ τῇ τοῦ ϲπουδαίου αὐτῶν ἕκαϲτον χρήϲει, οὐ τῇ τοῦ φαύλου)ʼ. cf. etiam fgm. 113 Rose. Sed cum sciamus de usu rerum externarum iam a veteribus Stoicis vehementer disputatum esse[2]), verisimile est quattuor nostros rhetores sententiam illam Stoicis debere.

Quos rhetores omnino a Stoicorum philosophorum doctrina pendere non solum ex eo apparet, quod eandem omnes bonorum partitionem praebent eandemque de usu bonorum externorum doctrinam profitentur, sed vel maxime ex eo, quod eadem atque Stoici petenda aut laudanda esse docent; quod e re est demonstrare. Adiungo autem ad quaestionem magis illustrandam etiam ea bona, quae Anaximenes exhibet.

Quod bona externa attinet,

Anaximenes praebet (cp. 3 et cp. 35): εὐγένεια, φίλοι, πλοῦτοϲ (χρήματα et κτήματα).

Cornificius: genus, educatio, divitiae, potestas, gloria, civitas, amici.

Cicero (de invent. II 59, 117; de orat. II 11, 46): honos, pecuniae, affinitas, genus, amici, patria, potentia [omittit educationem].

[1]) Cornificius III 7, 14; — Cicero de invent. II 59, 117: ʽvidere autem in laudando et in vituperando oportebit non tam, quae in corpore aut in extrariis rebus habuerit is, de quo agetur, quam quo pacto his rebus usus sitʼ. Cf. etiam de orat. II 11, 46; et II 84, 342. — Quintilianus III 7, 13: ʽsed omnia, quae extra nos bona sunt, quaeque hominibus forte optigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, sed quod iis honeste sitususʼ. Et Theo (Speng. rh. gr. II 111, 12): ʽμετὰ δὲ τὸ προοίμιον εὐθὺϲ περὶ εὐγενείαϲ ἐροῦμεν καὶ τῶν ἄλλων τῶν τε ἐκτὸϲ καὶ περὶ ϲῶμα ἀγαθῶν οὐχ ἁπλῶϲ οὐδ᾽ ὡϲ ἔτυχε λόγον διατιθέμενοι ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἑκάϲτου δεικνύντεϲ, ὅτι μὴ ἀνοήτωϲ, ἀλλὰ φρονίμωϲ καὶ ὡϲ ἔδει αὐτοῖϲ ἐχρήϲατο κτλ.ʼ

[2]) De Chrysippo dicit Diog. Laert. VII 102 (= Arnim l. c. III fr. 117): πλούτῳ τε καὶ ὑγιείᾳ ἔϲτιν εὖ καὶ κακῶϲ χρῆϲθαι, οὐκ ἄρ᾽ ἀγαθὸν πλοῦτοϲ καὶ ὑγίεια. Cf. Plutarchum, de Stoic. repugn. 31 pg. 1048 c (= Arnim II fr. 123). Idem Cebes cp. 36 seq.

Theo: εὐγένεια (πόλεωϲ, ἔθνουϲ, πολιτείαϲ, γονέων, οἰκείων) παιδεία, φιλία, δόξα, ἀρχή, πλοῦτοϲ, εὐτεκνία, εὐθαναϲία.

Stoici igitur rhetores plura bona exhibent quam Anaximenes: primum παιδείαν, quem τόπον Isocrates et Anaximenes non praebent, tum ἀρχὴν et δόξαν (potestatem et gloriam), quas iam Aristoteles exhibet (rhet. I 5). Theo solus duo nova bona affert εὐτεκνίαν et εὐθαναϲίαν. Εὐτεκνίαν autem coniunctam cum πολυτεκνίᾳ invenimus iam apud Isocratem (Euag. § 72) et Aristolem (rhet. I 5); sed Stoicos quoque eam in bonis habuisse efficitur e Stobaeo (eclog. II 80 Wachsm. = Arnim l. c. III fragm. 136). ʽτῶν δὲ προηγμένων τὰ μὲν εἶναι περὶ ψυχήν, τὰ δὲ περὶ ϲῶμα, τὰ δὲ ἐκτόϲ, . . . τῶν δ᾽ ἐκτὸϲ γονεῖϲ, τέκνα κτῆϲιν ϲύμμετρον κτλ.ʼ[1]) Etiam vox εὐθαναϲία philosophiae Stoicorum deberi mihi videtur: primus enim praebet hanc vocem Posidippus (Myrm. Kock fragm. 18) tum Cicero (epist. ad Attic. 16, 73) et Philo, quem plurima e philosophia Stoicorum hausisse constat (I 182), eam usurpant, Augustumque vocabulo illo uti consuevisse Suetonius tradit (vita Aug. cp. 99). —

Bona corporis, quae enumerat,

Anaximenes: ῥώμη et κάλλοϲ.

Cornificius: velocitas, vires, dignitas, valetudo.

Cicero (de invent. II 59 inverso ordine): valetudo, dignitas, vires, velocitas.

Theo: ὑγεία, ἰϲχύϲ, κάλλοϲ, εὐαιϲθηϲία.

Cornificius igitur et Cicero idem praebent. Theo omittit τάχοϲ (velocitatem); sed vis velocitatis iam in voce ἰϲχύϲ inesse potest, ut iam Aristoteles in enumeratione bonorum exponit (rhet. I. 5, 1361 b. 22): ʽὁ ταχὺϲ ἰϲχυρόϲ ἐϲτινʼ[2]); quare casui non dandum est, quod etiam Cornificius ʽvires et velocitatemʼ coniuncte tractat. — Sed nova est Theonis illa εὐαιϲθηϲία i· e·

[1]) Constat Stoicos copiose περὶ γάμου καὶ παιδοποιΐαϲ disseruisse, quorum de hac re doctrinam Theonen secutum esse iam Dyroff (l. c. pg. 237) demonstravit. Cf. Sext. adv. math. XI 46 (= Arnim. l. c. III fr. 96): ʽϲπουδαῖα τέκναʼ; plurima apud K. Praechter, Hierokles 1901, pg. 66 seqq.

[2]) Cf. Pindar. Ol. I 99: ʽἵνα ταχυτὰϲ ποδῶν ἐρίζεται ἀκμαί τ᾽ ἰϲχύοϲ θραϲύπονοιʼ et Pind. Nem. VI 73: ʽδελφῖνι κεν τάχοϲ δι᾽ ἅλμαϲ εἰκάζοιμι Μεληϲίαν χειρῶν τε καὶ ἰϲχύοϲ ἁνιόχοιοʼ; Xenophan. frg. 2 Diels: ʽταχυτῆτι ποδῶν, τόπερ ἐϲτὶ πρότιμον ῥώμηϲʼ; Pseudo-Demosth. epitaph. cp. 14.

integritas sensuum. Quae vox apud veteres scriptores non legitur nisi apud Platonem (Tim. 76 D, Locr. 103 C); a Stoicis εὐαιϲθηϲίαν in προηγμένοιϲ, quae dicuntur, numeratam esse docent Diog. Laert. VII 107 et Stob. ecl. II 80 (Wachsm.)[1]).

Quod autem bona animi vel virtutes attinet, scimus Stoicos Socraticas illas virtutes, quas et Isocrates et Anaximenes in laudationibus adhibuerant, amplexos esse[2]). Easdem praebet etiam Cornificius, paucasque addidit Theo. Cicero vero aliam virtutum partitionem sequitur, quam apud Aristotelem primum invenimus; dividuntur enim virtutes in eas, quae moribus et in eas, quae ingenii facultate continentur[3]). Neque vero crediderim Ciceronem hanc divisionem ex Aristotele ipso sumpsisse, sed cum Panaetius Stoicus, cuius doctrina Cicero plane imbutus erat, Aristotelicam illam partitionem receperit, ut Diogenes Laertius VII 92 docet[4]), mihi persuasum est Ciceronem eam Panaetio debere.

Qua disceptatione spero me demonstravisse Cornificii Ciceronis Quintiliani Theonis de laudationibus componendis praecepta ad Stoicorum doctrinam recedere.

Priusquam autem ad sequentes rhetores transeamus, pauca mihi addenda sunt de Quintiliano. Qui, quamquam tripertitam illam bonorum divisionem novit, tamen aliam laudationis dispositionem proponit. Dicit enim (inst. orat. III 7, 10): 'laus

---

[1]) Diog. Laert. VII 107 (= Arnim l. c. III fg. 135): 'ἔτι τῶν προηγμένων τὰ μὲν δι' αὑτὰ προῆκται, τὰ δὲ δι' ἕτερα, τὰ δὲ καὶ δι' αὑτὰ καὶ δι' ἕτερα ... δι' αὑτὰ καὶ δι' ἕτερα ἰϲχύϲ, εὐαιϲθηϲία, ἀρτιότηϲ'; et Stob. ecl. II 80 (= Arnim l. c. III fg. 136): '... περὶ ϲῶμα δ' εἶναι προηγμένα ὑγίειαν, εὐαιϲθηϲίαν'.

[2]) Barth, Die Stoa pg. 137.

[3]) Aristot. Eth. Eud. II 1, 19: 'ἀρετῆϲ εἴδη δύο, ἡ μὲν ἠθική, ἡ δὲ διανοητική'. Et Cicero exponit part. orat. 22, 76: 'est igitur vis virtutis duplex: aut enim scientia cernitur virtus aut actione' et in libro de orat. II 84, 343 distinguit 1. mores, 2. ingenii facultatem, in qua etiam eloquentia numeratur. Atque mirum in modum Cornelius Nepos in prooemio 'Epaminondae' iisdem verbis hanc partitionem exprimit, cum dicit cp. 1: 'de moribus ingeniique facultate etc.'; et idem scriptor eloquentiam, de qua fuse in cpp. 5—6 'Epaminondae' dicit, in virtutibus habet.

[4]) Diog. Laert. VII, 92: 'Παναίτιοϲ μὲν οὖν δύο φηϲὶν ἀρετάϲ, θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν'.

hominum primum dividitur in tempora, quodque ante eos fuit quodque ipsi vixerunt: in iis autem, qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum etc.' Iam Volkmannus exposuit hanc partitionem e schola Stoicorum profectam esse[1]). Quamquam autem non nisi unum exemplum huius partitionis inveni — carmen enim illud panegyricum in Messallam, quod falso Tibullo adscriptum est, hanc dispositionem sequi mihi videtur —, tamen summi momenti est ad cognoscendam dispositionem Menandri monodiarum et consolationum, quarum partem laudativam secundum tria illa tempora disponendam esse rhetor docet. Dicit enim (Rh. gr. III 435 Sp.): 'διαιρήϲειϲ δὲ τὴν μονῳδίαν εἰϲ χρόνουϲ τρεῖϲ τὸν παρόντα εὐθὺϲ καὶ πρῶτον ... εἶτα ἀπὸ τοῦ παρεληλυθότοϲ χρόνου ... ἀπὸ δὲ τοῦ μέλλοντοϲ'. Quam laudis structuram praebent Gregorii Nysseni consolationes[2]).

Sed accedamus ad rhetores posteriores. Atque iam supra exposuimus (pg. 18) Anaximenem studuisse ordinem dispositionis chronologicum coniungere cum illo ordine, qui divisione bonorum nititur; idem Stoici voluerunt. Neque tamen his neque illi id plane contigit[3]). Quare fuerunt, qui pristinam illam formam, quam in Isocratis laude Alcibiadis inveneramus, sequerentur iidemque respicientes alteram partitionem, quae secundum bona disponit. Atque huius generis dispositionem, cum iam Cicero (part. orat. 22, 74) et Quintilianus (inst. orat. III, 7, 15) adumbravissent, copiose explanavit Hermogenes, qui temporibus Marci Aurelii fuit[4]). Aristidis autem artem, quae fere plane cum Hermogenis consentiat[5]), praetereo.

---

[1]) Volkmann, die Rhetorik der Griechen und Römer pg. 274. — Hanc partitionem praebet etiam Emporius (Halm, rhetores Latini pg. 567 seqq.)

[2]) J. Bauer, Die Trostreden des Gregorios von Nyssa, diss. Marp. 1892.

[3]) Ita mors, quae in laudationibus mortuorum commemoranda erat, in Cornificii arte ei parti subiuncta est, quae animi virtutes tractat.

[4]) Eum ante Theonem fuisse demonstrat Hoppichler, De Theone Hermogene, Aphthonioque progymnasmatum scriptoribus diss. Virc. 1884 pg. 23, 29, 35. — Schrader, Herm. XXXVIII (1903) pg. 145.

[5]) H. Baumgart, Aelius Aristides als Repräsentant der sophistischen Rhetorik des 2. Jahrh. der Kaiserzeit 1874 pg. 139 seqq.; Volkmann, Die Rhetorik d. Griech. u. Römer² pg. 553. — Christ, Geschichte der griech. Literatur⁴ 748 adn. 3. — Spengel, rhet. gr. II 504.

Hermogenis dispositio haec est:

ἔθνος (Ἕλλην)
πόλις (Ἀθηναῖος)
γένος (Ἀλκμαιωνίδης)
γένεσις (θαύματα καὶ ὀνείρατα)
τροφή
ἀγωγή
φύσις:
a) σώματος (καλός, μέγας, ταχύς, ἰσχυρός)
b) ψυχῆς (δίκαιος, σώφρων, σοφός, ἀνδρεῖος)
ἐπιτηδεύματα (βίος φιλόσοφος, ῥητορικός, στρατιωτικός), in quibus facta demonstrantur
τὰ ἐκτός (συγγενεῖς, φίλοι, κτήματα, οἰκέται, τύχη)
τρόπος τῆς τελευτῆς
τὰ μετὰ τὸν θάνατον (ἀγῶνες, χρησμός, παῖδες ἔνδοξοι)

Sequitur igitur Hermogenes, quocum posteriores rhetores fecerunt, non Stoicam normam sed compositionem illam, quam historici in vitis conscribendis adhibuerunt. Omnes enim illorum 'vitae' continent γένος, παιδείαν, φύσιν, (ἐπιτηδεύματα), πράξεις; exempla sunt Xenophontis vita Cyri[1]), Polybii vita Philopoemenis[2]), Cornelii Nepotis vita Epaminondae[3]), Nicolai βίος Καίσαρος[4]), Ammiani encomium Eutherii[5]) etc. — Hermogenes autem, quamquam Stoicorum dispositionem dissolvit et singulos τόπους secundum tempora digessit, tamen non omnino ab illorum praeceptis abscessit. Praebet enim ut illi τόπον bonorum externorum (τὰ ἐκτός); deinde retinuit quattuor illas Socraticas virtutes, sed ita ut doceret singula facta ad illas accommodanda esse, ut est apud Anaximenem et Stoicos, sed virtutes referuntur ad φύσιν[6]). Primum apud hunc auctorem

[1]) Instit. Cyri I 2, 6.
[2]) Leo l. c. 244 seqq.
[3]) Leo l. c. 207 seqq.
[4]) Leo l. c. 190.
[5]) Leo l. c. pg. 240.
[6]) Qua in re corrigenda est Leonis sententia dicentis (l. c. pg. 210): 'Ebenso schreibt Theon und die andern Verfasser von προγυμνάσματα wie auch Menander unzweideutig vor, daß nicht fortlaufend erzählt, sondern nach Tugenden disponiert werden müsse'.

nobis occurrit τόπος ἐπιτηδευμάτων, qui est de rebus, quas quisque in sua professione gessit. Τόπον autem eum, quem vocavit τὰ μετὰ τὸν θάνατον, iam apud Isocratem inveneramus (cf. supra pg. 7), eundemque Cornificius Quintilianusque praebuerunt.

Hermogenem sequitur Pseudo-Dionysius, cuius septem de genere demonstrativo capita ante Menandri artem medio tertio post Chr. saeculo confecta esse constat[1]). Schema autem laudis, quod in eius μεθόδῳ ἐπιταφίων inest, his continetur verbis:

πατρίς
γένος
φύσις (εὐφυής)
ἀγωγή (ἀνατροφή, παιδεία, ἐπιτηδεύματα)
πράξεις et ἀρεταί (ἀνδρεία, δικαιοσύνη, σοφία, ὁποῖος περὶ τὴν πόλιν, ὁποῖος ἰδίᾳ περὶ τὰ ἕκαστα, ὁποῖος περὶ φίλους, περὶ ἐχθρούς, γονέας, οἷος ἐν ἀρχαῖς).

Videmus igitur Pseudo-Dionysium chronologicum τόπων ordinem cum nota illa Anaximenis Stoicorumque dispositione coniungere: cum enim quattuor priores τόποι ex temporum ratione digesti sint, facta secundum singulas virtutes disponenda esse docet rhetor. Atque ea potissimum re haec Pseudo-Dionysii laudationis pars cum Stoicis congruit, quod ad horum rationem docet demonstrandum esse, quomodo is, quem laudare constituimus, bonis externis (amicis, honoribus etc.) usus sit.

Eadem fere dispositio invenitur apud Menandrum, cuius schema laudationis supra exposuimus (pg. 4). Pauca mutavit vel amplificavit hic rhetor. Atque primum quidem vocis ἐπιτηδεύματα significationem mutavit; nam apud Hermogenem habet vim professionis, apud Menandrum illa sunt τὰ ἄνευ ἀγώνων ἤθη (Rh. gr. III 420, 21 Sp.), i. e. mores. Deinde quem τὰ ἐκτός, vocavit Hermogenes τόπον, eum nuncupat hic τύχην, seiungit autem ut ille ab hac et γένος et παιδείαν. Singula vero facta a Menandro ad virtutes accommodantur.

[1]) Usener, Dionysii Halicarnasei, quae fertur ars rhetorica 1895 pg. 25. De libelli tempore cf. etiam Bursian, Über den Rhetor Menandros (Abhandl. der bayer. Akad. d. Wissensch. Philos.-Philol. Abt. XVI 26).

In hoc igitur consentit Menander cum ceteris; id vero primus omnium rhetorum docet σύγκρισιν esse adhibendam, quae ad totam laudationem singulasque eius partes pertineat (πρὸς ὅλην τὴν ὑπόθεσιν). Certe iam Anaximenes (cp. 35), Aristoteles (rhet. I 9), Cicero (de orat. II 85) dixerunt laudationes comparationibus exornandas esse; Theo tractatum proprium, ut multi rhetorum posteriorum, de comparationibus composuit; Hermogenes praescribit, ut orator laudationibus συγκρίσεις inserat[1]): at Menandrus docet non solum post singulos τόπους ἐγκωμιαστικούς comparationes instituendas esse, sed τόπον proprium συγκρίσεως ponit, qua singula opera vel virtutes eius, qui laudatur, cum aliorum comparentur. Optimum huius συγκρίσεως exemplum praebet Gregorii Nazianzeni oratio funebris in Basilium. Quod genus comparationis apud posteriores quoque valuisse inde apparet, quod etiam Nicolaus rhetor, qui quinto saeculo fuit, in laudatione Themostoclis ea usus est (Walz rh. gr. I 388[2])). Cum autem apud rhetores σύγκρισις πρὸς ὅλην τὴν ὑπόθεσιν non inveniatur, ex oratoribus veteribus unus semel eam adhibuit Hyperides; in cuius epitaphio Leosthenes ipse, qui ad inferos descendit, comparatur et cum heroibus, qui ad Troiam pugnaverunt, et cum Miltiade et Themistocle, eademque ratione componitur Leosthenis militumque intima consuetudo cum Harmodii Aristogitonisque amicitia[3]). Apud posteriores autem neque oratores neque rhetores haec σύγκρισις invenitur usque ad Menandrum.

Posteriores autem rhetores ad explanandam laudationum dispositionem nihil fere attulerunt; satis eis erat ea, quae priores aetates creaverunt, compilare atque componere. Inter quos praestat Aphthonius exeuntis quarti saeculi rhetor,

[1]) μεγίστη δὲ ἐν τοῖς ἐγκωμίοις ἀφορμὴ ἀπὸ τῶν συγκρίσεων, ἣν τάξεις ὡς ἂν ὁ καιρὸς ὑφηγῆται; praescribit igitur Hermogenes comparationes, neque vero unam illam comparationem, quae firmum ac stabilem locum tenet ad totam laudationem pertinet. — De usu συγκρίσεων cf. etiam Leo l. c. pg. 149 seqq.; Lippelt l. c. pg. 10 adn. 6; Spengel comment. in Aristot. pg. 149 seqq.

[2]) Neque enim ex eius arte clare perspicitur, utrum τόπον proprium συγκρίσεως praescribat necne.

[3]) Epitaph. § 34 seqq.

cuius artem apud rhetores medii aevi plurimum valuisse notum est[1]). Eius laudationum schema hoc est:

γένος (ἔθνος, πατρίς, πρόγονοι, πατέρες)
ἀνατροφή (ἐπιτηδεύματα, τέχνη, νόμοι)
πράξεις
  a) ψυχῆς (ἀνδρεία, φρόνησις)
  b) σώματος (κάλλος, τάχος, ῥώμη)
  c) τύχης (δυναστεία, πλοῦτος, φίλοι)
σύγκρισις.

Denuo igitur nobis occurrit tripertita illa bonorum divisio. Neque vero hac partitione totius orationis dispositio nititur, sed πράξεις solas secundum illa bona digerendas esse rhetor docet.

Cuius dispositionem saepissime posteriores oratores et rhetores secutos esse vix negaveris; nam Apthonii auctoritas multum apud illos valuit. Quod non solum inde apparet, quod tanta copia commentariorum ad eius tractatum explicandum confecta est[2]), sed etiam ex eo, quod ipsius Aphthonii nomine celato ὁ ῥήτωρ medio aevo vocatus est (Stephani in Aristotelis artem rhetoricam commentar. ed. academ. Boruss. 1896 vol. XXI 2 pg. 282, 14). Nec tamen apud omnes Aphthonii auctoritas valuit.

Nicolaus enim rhetor, qui quinto saeculo fuit, postquam suum schema, quod his verbis γένος (ἔθνος, πόλις, πρόγονοι), γένεσις, ἀνατροφή, ἐπιτηδεύματα ἐν νέᾳ ἡλικίᾳ (ῥητορική κτλ.), πράξεις (secundum virtutes disponendae) continetur, exposuit et explicavit, pergit se novisse tripertitam illam bonorum partitionem, sed abiecisse ut a consuetudine artium suae aetatis alienam (Spengel, rh. gr. III 479, 26): 'ἡμεῖς δὲ νῦν οὐ ταύτῃ τῇ διαιρέσει, ἀλλὰ τῇ κρατούσῃ ἑψόμεθα[4]).

[1]) Spengel, rhet. gr. II 35 seqq.; Hoppichler l. c.; Brzoska, Pauly-Wissowa R. E. vol. I pg. 2797.

[2]) Cf. Brzoska l. c.

[3]) Spengel, rh. gr. III 477. Finckh. Aphthonii et Nicolai soph. progymn. etc., Heilbronn 1865.

[4]) Solas artes brevi hoc conspectu illustrare conatus sum; ipsos ἐπιταφίους sophistarum, ut Dionis Chrysostomi, Aristidis, Themistii, meo, ut opinor, iure non curavi; sentio enim e rhetorum nudis praeceptis facilius et melius posse statui, quo modo orationum dispositiones

Quoniam autem satis copiose de laudationum Graecarum compositione illarumque τόποις disseruimus, ad Gregorii Nazianzeni orationes funebres transeamus.

PARS ALTERA.

DE GREGORII NAZIANZENI ORATIONUM FUNEBRIUM COMPOSITIONE.

E quadraginta quinque Gregorii orationibus, quae ad nostram aetatem pervenerunt, generi laudativo adscribendae sunt hae octo: oratio in laudem 1. Machabaeorum, 2. Athanasii, 3. Cypriani, 4. Heronis philosophi, 5. Caesarii fratris, 6. Gorgoniae sororis, 7. Gregorii patris, 8. Basilii Magni; e quibus quattuor priores ad quaestionem nostram non pertinent, sed generi καθαροῦ ἐγκωμίου, quod vocat Menander, attribuendae sunt. Quattuor vero sequentes ἐπιτάφιοι in codicibus vocantur. Sed quaerendum est, utrum omnes hi ἐπιτάφιοι laudationes funebres sint necne. Nam haud raro ἐπιταφίου nomen eae quoque orationes titulis exhibent, quae non ipso die mortis vel funeris, sed in memoriam hominum, qui iam multis annis vel saeculis ante fuerant, habitae sunt, ut Choricii ἐπιτάφιος ἐπὶ Μαρίᾳ[1]). Nos autem orationes funebres eas soles laudationes vocamus, quae die funeris ipso vel paucis diebus post dictae sunt.

Priusquam igitur ad ipsas orationes explanandas accedamus, de singulis investigandum erit, quo tempore et qua occasione

et compositiones factae auctae mutatae sint, quam ex orationibus illis; et enim ea istius aetatis litterarum condicio est, ut orationes artis praeceptis illustremus, non artes ex orationibus refingamus vel resuscitemus. Neque respexi epitaphios medii aevi, cum ad nostram rem eos non pertinere putarem. Nonnullos illius aetatis epitaphios Bauer (die Trostreden des Gregor. v. Nyssa pg. 13) commemoravit, Dräseke (Wochenschrift für klassische Philologie 1892 pg. 1176 seqq.) multas addidit. Cf. etiam K. Praechter Antikes in der Grabrede des Georgios Akropolites auf Johannes Dukas in Byzant. Zeitschr. vol. XIV 3 et 4 (1905) pg. 479 seqq. Westermann, Quaestiones Demosthenicae II pg. 47. Fabricius, bibl. graeca X pg. 187. Vollmer, Laudationum funebrium Romanorum historia pg. 471 seqq.

[1]) Edit. Boissonade pg. 37; cf. Caffiaux, De l'oraison funèbre dans la Grèce paienne, Valenciennes 1861, pg. 189.

unaquaque ex illis habita sit. Atque summi momenti est scire Christianis illius aetatis certos dies praescriptos fuisse, quibus memoriam mortuorum recolerent. Constitutiones Apostolorum enim dicunt[1]): ʽἐπιτελείσθω δὲ τρίτα τῶν κεκοιμημένων ἐν ψαλμοῖς καὶ ἀναγνώμασι καὶ προσευχαῖς διὰ τὸν διὰ τριῶν ἡμερῶν ἐγερθέντα καὶ ἔνατα εἰς ὑπόμνησιν τῶν περιόντων καὶ τῶν κεκοιμημένων καὶ τεσσαρακοστὰ κατὰ τὸν παλαιὸν τύπον (Μωσῆν γὰρ οὕτως ὁ λαὸς ἐπένθησε) καὶ ἐνιαύσια κτλʼ. Qui usus iam apud veteres Graecos fuit, qui ea re sola differunt ab hac solemni Christianorum regula, quod pro quadragesimo diem tricesimum colebant[2]). Tamen Christianos quoque tricesimo die post mortem vel post sepulturam solemnia funebria egisse Bauer recte demonstravit[3]): usus regula fortior.

Sed iam accedamus ad singulas orationes.

A. Oratio in Caesarium fratrem.

(Migne, P. G. vol. 35, 755 seqq.)

1. Quo tempore et loco oratio habita sit.

Ad tempus huius orationis definiendum investigare opus est, quo anno Caesarius mortuus sit. Sed cum de Caesario veteres scriptores nihil fere tradiderint, ex una nostra oratione, qui vitae eius fons praestantissimus est, terminum enucleemus necesse est[4]).

Atque primum quidem ex oratione ipsa discimus Caesarium post Iuliani necem i. e. post annum 363 mortuum esse (cp. 14). Cum autem post enarratam Iuliani mortem

[1]) Ed. P. de Lagarde pg. 276.

[2]) E. Rohde, Psyche² I 232.

[3]) J. Bauer l. c. pg. 32 seqq.

[4]) De Caesarii vita cf. Greg. Nazianz. carm. de vit. sua (Migne 37, 1030 seqq.); carm. de reb. suis (Migne 37, 970); epigrammata 6—21 (Migne 38, 14 seqq.); epistul. 7, 14, 20, 29; Basilii epistul. 26 (Migne 32, 301); Suidas v. Καισάριος; Photius bibl. cod. 210. — Tillemont, mém. ecclés. IX 375 seqq. — Fabricius, Biblioth. Gr. VIII 435; — Louvard in ʽMonitoʼ, quod huic orationi praemissum (Migne 35, 751, et 38, 751); — Ullmann, oper. vol. V Gregor v. Nazianz 2. Aufl. 1867; — Seeck in Pauly-Wissowa Real-Encyclop. vol. 3, 1298.

orator pergat (cp. 14): 'βαcιλεῖc μὲν ὁ χρόνοc παρήμειψε, Καιcαρίῳ δὲ τὸ τῆc εὐδοξίαc ἄλυτον' apparet Caesarium et Ioviano, qui usque ad annum 364 vixit, et etiam Valente, qui eius successor fuit, regnantibus vixisse. Sequitur Caesarium post annum 364 mortuum esse. Aliud accedit: orator priusquam Caesarii mortem narrat, commemorat vehementem quendam terrae motum, quem urbs Nicaea passa sit (cp. 15). Iam cum Nicaea post Iuliani mortem duos terrae motus viderit, quaeritur, ad quem annum is, qui a Gregorio memoratur, referendus sit: alter enim fuit anno 365, alter anno 368 [1]). Res plana: dubitari non potest, quin orator terrae motum anni 368 significet. Cum enim de priore nihil fere traditum sit, terrae motum anni 368 gravissimum fuisse veteres scriptores referunt, ut Hieronymus [2]), qui tradit ad annum 368: 'Nicaea, quae saepe ante conruerat, terrae motu funditus eversa est'. Quacum re consentit plane Gregorius, qui cp. 15 exponit e terrae motu illo, ὃc δὴ χαλεπώτατοc τῶν πώποτε μνημονευομένων γεγονέναι λέγεται, neminem fere praeter Caesarium paucosque alios servatum esse. Constat igitur Gregorium ad terrae motum, qui die X. mensis octobris anni 368 fuit, alludere Caesariumque post hunc terminum mortuum esse.

Iam quantum temporis spatium inter terrae motum Caesariique mortem intercedat, perquiramus. Atque orator terrae motus illius mentionem facit ut πρώην cυνενεχθέντοc (cp. 15); sed voce πρώην hoc loco minime accuratam temporis significationem praebere apparet, cum calamitas illa tam clara tamque gravis fuerit, ut orator etiam multis annis interiectis hac voce uti posset. Neque id ad tempus stabiliendum valet, quod in carmine de vita sua Gregorius dicit fratrem, munere Nicaeae fungentem, vita decessisse (ἐν ἀρχῇ μέcῃ θνήcκει), cum fieri possit, ut compluribus annis post calamitatem illam Nicaeae versatus sit. Sed cum orator in enarranda Caesarii vita tempora sequatur neque inter terrae motum illum et fratris decessum novi quicquam afferat — immo iungit utrumque verbis (cp. 15): 'τοῦ μὲν cειcμοῦ κρείττων ἐγένετο, τῆc

[1]) Förster ed. Liban. II pg. 223.

[2]) Euseb. vol. II pg. 197 Sch. — Cf. Clintoni Fast. Roman. I 470.

δὲ νόcου δ'οὐκ κτλ.' —: brevissimum temporis spatium inter casus istos duos intercedere verisimile est. Caesarium revera terrae motu ipso non perisse inde quoque apparet, quod et frater eius Gregorius [1]) et amicus Basilius [2]) litteras ad eum scripserunt, quibus eum admonentes de calamitate orant ac rogant, ut ecclesiae Christianae se adscisceret. Contendo igitur Caesarium paulo post diem X. mensis octobris a. 368, i. e. exeunte anno 368 vel ineunte anno 369, mortuum esse.

Iam in eo est, ut quaeramus, quo tempore et quo loco oratio habita sit. Atque dicendum est orationem ipso die funeris, postquam pompa ad sepulcrum constitit, ad sepulcrum ipsum dictam esse idque Arianzi, in patria Caesarii, in quam eius ossa ex Bithynia delata sunt [3]). Quod colligo primum e pompa funebri commemorata, quam his verbis describit orator (cp. 15): 'καὶ νῦν ἡμῖν ὁ πολὺc Καιcάριοc ἀποcέcωcται, κόνιc τιμία, νεκρὸc ἐπαινούμενοc, ὕμνοιc ἐξ ὕμνων παραπεμπόμενοc, μαρτυρίων βήμαcι πομπευόμενοc (i. e. ad sanctum illum locum, ubi martyres iacent, te prosecuti sumus), γονέων χερcὶν ὁcίαιc τιμώμενοc, μητρὸc λαμπροφορίᾳ, τῷ πάθει τὴν εὐcέβειαν ἀντειcαγούcηc κτλ.' Quamquam me non fugit etiam in aliis orationibus, quae non die funeris ipso, sed postea habitae sunt, pompas describi, ut in Nazianzeni oratione in Basilium (cp. 80), vel in Gregorii Nysseni oratione in Meletium [4]), in nostra tamen oratione ita describit orator pompam, ut in propatulo sit eam statim laudationem fratris subsecutam esse. Gravissimum autem argumentum hoc est: Gregorius dicit (cp. 16) orationem suam donum et ornamentum esse, quod fratri offerat; hanc opponit aliorum donis, quae sunt serica, telae circumfluentes, texturae lini pretiosae, unguentorum infusiones, coronae, flores,

[1]) Epist. 20 (Migne vol. 37). [2]) Epist. 26 (Migne vol. 37).

[3]) Baronius contendit Caesarium in patria sua mortuum esse, Tillemontius (l. c. IX 396) dicit nusquam legi, ubi vita decesserit, ad quae cf. Migne 38, 848. Sed dubium esse nequit, quin Nicaeae mortuus sit, cum in epigramm. 14 (Migne 38, 18) dicat Nazianzenus:
'πέμψαντεc βαcιλῆι τὸν ἔξοχον ἰητήρων,
φεῦ, κόνιν ἐκ Βιθυνῶν δεξάμεθ' αὖ cε πέδου.'

[4]) Cf. Bauer l. c. pg. 51.

certamina. Quae quidem dona bene scio non solum die funeris, sed etiam aliis diebus solemnibus ad mortuos recolendos constitutis mortuis offerre Graecos consuevisse[1]); sed orator pergit suam orationem memoriam Caesarii omnibus posterioribus saeculis tradere, dona vero illa externa esse caduca, ἃ πάντα κατέκρυψεν ἂν cήμερον ὁ πικρὸc λίθοc οὗτοc μετὰ τοῦ καλοῦ cώματοc. Quod orator dicit 'una cum corpore dona ista lapidem operturum esse', inde colligitur corpus nondum terrae traditum fuisse tum, cum haec dicerentur. Dubitari igitur nullo modo potest, quin oratio ad sepulcrum lapide nondum tectum ipso die funeris dicta sit; nec probanda videtur Baueri sententia contendentis (l. c. pg. 35): 'So viel wir sehen, ist kein Zeugnis aus dem 4. und 5. Jahrhundert für eine Verbindung der Rede mit dem Leichenbegängnis vorhanden.' Notandum est etiam his temporibus usitatum fuisse orationes funebres ad ipsum sepulcrum facere, ut veteres Graeci consueverant, in quorum epitaphiis semper occurrit dictio 'ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ'. Etiam Gregorii Nysseni epitaphium in Pulcheriam ad sepulcrum dictam esse elucet e verbis: 'ὁρῶντεc αὐτόν τε τὸν τόπον τοῦτον, ἐν ᾧ cυνειλέγμεθα καὶ τὴν ἐν τῷ τόπῳ κατήφειαν'.

2. Argumentum orationis[2]).

Prooemium: Auditorum partem alteram adesse, ut una secum mortuum lugentes maeroris atque luctus participes sint, partem alteram, ut orationis elegantia delectentur, quae eis permulceat aures[3]). Sed falli eos, qui credant se declamationem quales, priusquam deo se dedisset, exercitasset, habiturum esse[4]). Quare non plus, quam deceat, se fratrem questurum

[1]) Rohde, Psyche I² pg. 234 seqq.

[2]) A. Bénoit, S. Gregoire de Nazianze, Marseille 1876, pg. 231 seqq.

[3]) 'οἱ δὲ ὡc τὴν ἀκοὴν ἑcτιάcοντεc καὶ ἡδίουc ἐcόμενοι'; cf. orat. in Basil. cp. 1: 'ἐκείνοιc θ' ἅμα μὲν ἡδονὴ γένοιτο κτλ.'

[4]) Cp. 1: 'Χρῆναι γὰρ ἡμᾶc ἐπίδειξιν ποιήcαcθαι καὶ τὴν cυμφοράν, οἷά ποτε ἦν τὰ ἡμέτερα, ἡνίκα τἆλλα ἦμεν ἱκανῶc περιττοὶ καὶ τῆc ὕληc καὶ τὰ περὶ λόγουc φιλότιμοι . . . μηδαμῶc μὴ τοῦτο περὶ ἡμῶν ὑπολάβητε'; cf. Themistii epitaph. in patrem pg. 233 C: 'ὁ λόγοc ἡμῖν οὐ φιλοτιμίαc καὶ ἐπιδείξεωc, ἀλλὰ τῆc ὁcίαc κτλ.'; Himerii or. XXIII

aut laudaturum esse, quamquam laudatio aptissimum mortuorum donum et debitum omnium debitorum iustissimum sit, idque viro eloquenti[1]). Sed ne videatur legem, quae iubet mortuos laudari, neglexisse, se dicendi munus suscepisse; neque enim a Christi doctrina alienas esse laudationes, immo scripturam sacram docere memoriam mortuorum celebrandam esse. Orationem autem ita se instituturum esse, ut primum fratrem queratur et laudet[2]), deinde ostendat infirmitatem naturae humanae[3]) pretiumque ac dignitatem animi, denique propinquos consoletur auditoresque a terrenis deducens transferat ad aeterna. —

Laudatio: Sequitur laus ipsa, quae orditur a parentibus, quorum pietatem imprimis praedicat orator (cp. 2). — Seorsim laudatur primum pater, cuius virtutes summatim proferuntur (cp. 3), deinde matris virtutes eiusque de familia bene merita enumerantur, tum parentes coniunctim celebrantur, quorum cum uterque primas inter mortales tulisset, neutrum palmas ferre potuisse, cum altera ab altera parte impedita esset (cp. 4)[4]).

(monod. in filium) § 19: 'ὦ δυcχερὴc γλῶcca, ὦ πρότερον μὲν ὄργανον Μουcῶν, νυνὶ δὲ ἀμούcου δαίμονοc. Γενέcθω μέροc τοῦ πονηροῦ κομμοῦ ἡ τῶν λόγων τούτων ἐπίδειξιc'.

[1]) Cp. 1: 'καίτοιγε δῶρον φίλον καὶ οἰκειότατον, εἴπερ τι ἄλλο τῷ λογίῳ λόγοc καὶ τῷ διαφερόντωc ἀγαπήcαντι τοὺc ἐμοὺc λόγουc ἡ εὐφημία· καὶ οὐ δῶρον μόνον, ἀλλὰ καὶ χρέοc ἁπάντων χρεῶν δικαιότατον.' Cf. Nazianzeni orat. in Basil. cp. 1: 'ἐμοί τε γὰρ ἔcται τοῦτο χρέοc ἱκανῶc ἀφοcιώμενον. χρέοc δὲ εἴπερ ἄλλο τι τοῖc ἀγαθοῖc τά τε ἄλλα καὶ περὶ τὸν λόγον ὁ λόγοc' et Himerii l. c. 1: 'οὐ γάρ μοι θέμιc μὴ καὶ λόγῳ θρηνῆcαι τὸν αὐτῶν τῶν λόγων ἔκγονον'. Orationem mortuis deberi dicit Nazianzenus etiam in orat. in Gorgoniam cp. 3: 'φέρε προcβῶμεν ἤδη τοῖc ἐγκωμίοιc, τὴν δὲ ὀφειλομένην ὁcίαν εἰc ἄλλο τι χρέοc τῶν ἀναγκαιοτάτων ἀποπληροῦντεc'; cf. et Aristid. or. XXXI K. in Etoneum § 1: 'ἡ μὲν ἐπίδειξιc οὐδαμῶc εὐτυχήc, οὐδὲ κατ' ἐλπίδαc, ἀναγκαία δὲ κτλ.'; et Themistii locum, quem modo citavi.

[2]) Cp. 1: 'δακρύcαντεc καὶ θαυμάcαντεc'; cf. Himer. l. c. 4: 'τί δὲ θρηνήcω, τί δὲ ἐπαινέcω.'

[3]) Cp. 1: 'τῆc τε ἀνθρωπίνηc φύcεωc τὴν ἀcθένειαν ἐπιδείξομεν'; cf. etiam Menand. Spengel rh. gr. III 414, 2: 'καὶ φιλοcοφῆcαι δὲ ἐπὶ τούτοιc οὐκ ἀπειρόκαλον καθόλου περὶ φύcεωc ἀνθρωπίνηc.'

[4]) Tacit. Agricol. VI 4: 'idque matrimonium ad maiora nitendi decus ac robur fuit. Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo'.

Parentes vero, pergit orator, se non ea de causa commemorasse, ut eos laudaret — id quod neminem digne apteque facere posse —, sed ut demonstraret mirum futurum fuisse, si haec parentum exempla secutus non esset Caesarius.

Postquam εὐγένειαν tractavit (τὰ μὲν δὴ πρῶτα τοιαῦτα), oratori ad alterum τόπον, nempe descriptionem κάλλουc vel φύcεωc, transeundum erat. Neque vero hanc partem copiosis verbis exponit; satis habet paucis hunc τόπον perstringere simul cavens ne ceterarum laudationum usum vel rhetorum praecepta ignorare videatur; (cp. 5): 'ἵνα δὲ τὰ ἐν μέcῳ cυντέμω κάλλοc καὶ μέγεθοc καὶ τὴν ἐν πᾶcι τοῦ ἀνδρὸc χάριν καὶ ὥcπερ ἐν φθόγγοιc εὐαρμοcτίαν (ὅτι μηδὲ πρὸc ἡμῶν τὰ τοιαῦτα θαυμάζειν εἰ καὶ τοῖc ἄλλοιc οὐ μικρὰ φαίνεται), πρὸc τὰ ἐφεξῆc βαδιοῦμαι τοῦ λόγου καὶ ἃ μηδὲ βουλομένῳ παραλιπεῖν ῥᾴδιον'[1]).

Παιδεία (cp. 5—6): Primum domi Caesarium educatum et eruditum esse, tum scholas Alexandrinas eum petivisse, ubi omnibus et temperantia et docilitate praestitisset: omnia litterarum genera ea diligentia, qua alii ne unum quidem colere solerent, eum excoluisse[2]), atque inprimis astronomiae, arithmetricae, medicinae studiis se dedisse.

[1]) Etiam in ceteris epitaphiis Gregorius hunc τόπον praetermittit; cf. orat. in Gorgoniam cp. 3: 'Ἄλλοc μὲν οὖν πατρίδα τῆc ἀπελθούcηc ἐπαινείτω καὶ γένοc, νόμουc ἐγκωμίων αἰδούμενοc πάντωc δ' οὐκ ἀπορήcει πολλῶν καὶ καλῶν λόγων, εἰ βούλοιτο ταύτην κοcμεῖν καὶ τοῖc ἔξωθεν ὥcπερ μορφὴν τιμίαν καὶ καλὴν χρυcῷ καὶ λίθοιc καὶ τοῖc ἐκ τέχνηc καὶ χειρὸc ὡραΐcμαcιν κτλ.' et orat. in Greg. 5: 'ἵνα πατρίδα καὶ γένοc καὶ cώματοc εὐφυΐαν, καὶ τὴν ἔξωθεν περιφάνειαν ... τοῖc τῶν ἐγκωμίων νόμοιc παρεὶc ἐκ τῶν πρώτων ἡμῖν καὶ οἰκειοτάτων ἄρξωμαι', et orat. in Basil. cp. 10: 'Κάλλουc μὲν δὴ καὶ ῥώμηc καὶ μεγέθουc, οἷc τοὺc πολλοὺc ὁρῶ χαίρονταc, τοῖc βουλομένοιc παραχωρήcομεν· οὐχ ὅτι κἀν τούτοιc ἔλαττόν τινοc ἠνέγκατο τῶν μικρολόγων καὶ περὶ τὸ cῶμα καλινδουμένων, ἕωc ἦν ἔτι νέοc καὶ οὔπω φιλοcοφίᾳ τῶν cαρκῶν κατεκράτηcεν, ἀλλ' ἵνα κτλ.' Gregorius Nyssenus autem in orat. in Meletium fuse pulchritudinem corporis praedicat (cf. Bauer l. c. pg. 47), quod idem Dio Chrysostomus, Aristides, Himerius fecerunt praeceptaque rhetorum iubent.

[2]) Aristid. XXXII K. (in Alexandr.) 8: 'πάντα γὰρ, ὥcπερ λέγω διεξελθὼν τὰ μαθήματα καὶ οὐδὲν ἔcθ' ὅτι οὐκ ἀκριβέcτερον τῶν ἐφ' ἑκάcτῃ καθημένων'.

Πράξειc (cp. 7—14; ex temporum ratione enarrantur): Studiis confectis Caesarium omnibus virtutibus omnique disciplinae litterarumque genere instructum, ut navem variis mercibus oneratam[1]), domum redisse. Miro casu se ipsum — oratorem dico — Athenis in patriam revertentem Byzantii fratrem convenisse, quod nisi deo preces matris exaudiente certo fieri non potuisse. Qua in urbe Caesarium brevi tempore tantam sibi comparavisse gloriam, ut omnes honores publice et privatim ei proponerentur (cp. 8). Quamquam autem Byzantii tantis honoribus eum affecissent atque vi eum retinere studuissent, tamen precibus suis eum obsequentem ad parentes revertisse. Caesarium ergo omnibus honoribus atque regi paene ipsi fratrem suum anteposuisse: tantam eius φιλαδελφίαν fuisse (cp. 9). Postquam autem Caesarius aliquamdiu domi mansisset patriaeque primitias doctrinae suae consecravisset, eum ad aulam imperatoris arcessitum esse. Quamquam autem brevi tempore summa gloria frueretur primumque inter medicos locum teneret, tamen eius mores nunquam corruptos esse, cum semper meminisset se Christianum esse[2]): εὐcέβειαν unum atque praestantissimum bonum ei visum esse. Neque vero hanc virtutem eum excoluisse solam, sed etiam propinquis calamitatibus constrictis auxilium utique tulisse, omnibus amicis parem et aequalem se praestitisse, superbiam fastidivisse. Summa autem laude eum dignum esse, quod Iuliano ipsi conanti eum a Christianorum doctrina ad suam pertrahere superstitionem fortiter restiterit: coram omnibus palamque eum pronuntiavisse se Christianum esse atque fore. Quare aulam eum reliquisse; Iuliano vero mortuo successores eum revocavisse omnibusque honoribus ornavisse. Imitentur igitur auditores Caesarii virtutem atque constantiam, ut eandem gloriam adipiscantur (cp. 14).

Θάνατοc: Fratrem in Bithynia munere quaestoris functum, quamquam divinitus e terrae motu illo, qui Nicaeam evertisset, cum perpaucis ex ruinis ipsis servatus esset, tamen paulo post morbo implicatum ac mortuum esse (cp. 15).

[1]) Eadem comparatio invenitur in orat. in Basil. cp. 24.

[2]) Christianus nondum erat; nam paulo ante mortem baptizatus est; cf. supra pg. 35.

Ἐκφορά: Magna pompa eius ossa ad sacrarium martyrum deducta esse, cum caterva prosequens hymnos caneret materque luctum psalmodia sedaret (cp. 15).

Προσφώνησις (ad. mortuum):

Iam alloquitur orator Caesarium ipsum eique offert laudationem: hoc suum ἐντάφιον esse, hoc ornamentum Caesarii aptissimum, quod ceteris ornamentis, ut vestibus sericis, telis mollibus et circumfluentibus, pretiosis lini texturis oleis coronis floribus certaminibus praeferat, quae pagani, patriae legi et stolido maerori potius servientes quam rationi, mortuis offerrent (νόμῳ πατρίῳ μᾶλλον καὶ ἀλογίᾳ πάθους ἢ λόγῳ δουλεύοντες)[1]. Suum donum hanc laudationem esse, quam fortasse etiam posteriores aetates excepturas esse; omnia illa bona esse caduca, suam autem orationem posteris nomen Caesarii traditurum esse, ut eius memoria nunquam pereat (cp. 16)[2]. Sed non

---

[1]) Cf. Rohde Psyche I² p. 234.

[2]) Laudatione vel poetae vel oratoris memoriam mortuorum immortalem fieri communis est Graecorum sententia; cf. Pindari encomii frgm. 121 (Bergk):

πρέπει δ' ἐσλοῖσιν ὑμνεῖσθαι . . . καλλίσταις ἀοιδαῖς.
τοῦτο γὰρ ἀθανάτοις τιμαῖς ποτιψαύει μόνον
ῥηθὲν σθένει, θνάσκει δὲ σιγαθὲν καλὸν ἔργον.

Eadem sententia invenitur apud Isocratem (Euag. § 4), apud Libanium (epitaph. in Iulian. § 3) aliisque in epitaphiis. Cf. Greg. Naz. orat. in Gorgoniam cp. 2: 'λόγου δὲ ἀποστεροῦντες, ὃ πάντων μάλιστα τοῖς ἀγαθοῖς ἐστιν ὀφειλόμενον καὶ ᾧ τὴν μνήμην ἂν αὐτοῖς ἀθάνατον καταστήσαιμεν'. Ad Gregorii verba (cp. 16): 'τοῦτό σοι, Καισάριε, παρ' ἐμοῦ τὸ ἐντάφιον, αὗται τῶν ἐμῶν λόγων αἱ ἀπαρχαὶ . . . οὗτος ὁ παρ' ἐμοῦ κόσμος . . . τὸ δὲ ἐμὸν δῶρον λόγος, ὃ τάχα καὶ ὁ μέλλων ὑπολήψεται χρόνος ἀεὶ κινούμενον καὶ οὐκ ἐῶν εἰς τὸ παντελὲς ἀπελθεῖν τὸν ἐνθένδε μεταχωρήσαντα, φυλάσσον δὲ ἀεὶ καὶ ἀκοαῖς καὶ ψυχαῖς τὸν τιμώμενον καὶ πινάκων ἐναργεστέραν προτιθεὶς τὴν εἰκόνα τοῦ ποθουμένου' cf. Himerii verba in monodia in fil. (or. II § 22): 'Ταύτας μὲν οὖν δέδεξο τὰς χοάς, ἅς σοι παρὰ τῷ ποταμῷ σπένδω τῷ Μέλανι et § 23: 'ἔσῃ δέ, εἰ δυνατόν, διὰ τοῦ πατρὸς ἀθάνατος . . . κοσμήσω σε καὶ ἐπιταφίοις ἀγῶσι καὶ παραδώσω τῷ χρόνῳ τὸ σὸν ὄνομα, καὶ γενήσομαι τοῦ δαίμονος κατὰ τοῦτο γοῦν τὸ μέρος φιλονεικότερος, ἵνα ἔχῃ μὲν ἐκεῖνος τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν ὁ οὐρανός, τὴν δὲ δόξαν ἅπαντες ἄνθρωποι.' Cf. Tacit. Agric. 46 et Senec. De cons. ad. Polyb. 18: 'Fratris quoque tui produc memoriam aliquo scriptorum monimento tuorum; hoc enim unum est in rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat,

hoc die solo eum celebrari atque honorari: etiam diebus anniversariis propinquos eius memoriam celebraturos esse (καὶ τὰ μὲν ἀποδεδώκαμεν, τὰ δὲ δώσομεν, τὰς δι' ἔτους προσφέροντες τιμάς τε καὶ μνήμας, οἵ γε τῷ βίῳ περιλειπόμενοι). Nunc vero fruatur gaudiis caelestibus[1]).

Παραμυθία καὶ συμβουλή:

Nulla facta transitione consolatio ad partem antecedentem

---

quod nulla consumat vetustas. cetera, quae per constructionem lapidum et marmoreas moles aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagant longam diem, quippe et ipsa intereunt: inmortalis est ingeni memoria'. Poetarum testimonia adferre inutile.

[1]) 'Σὺ δὲ ἡμῖν οὐρανοὺς ἐμβατεύοις, ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή, καὶ ἐν κόλποις Ἀβραάμ, οἵτινες δὴ οὗτοί εἰσιν, ἀναπαύσαιο καὶ ἀγγέλων ἐποπτεύοις χορείαν καὶ μακαρίων ἀνδρῶν δόξας τε καὶ λαμπρότητας· μᾶλλον δὲ συγχορεύοις καὶ συναγάλλοιο, πάντα διαγελῶν τὰ τῇδε ἀφ' ὕψους, τούς τε καλουμένους πλούτους καὶ τὰς ἐρριμένας ἀξίας, καὶ τὰς ψευδομένας τιμὰς καὶ τὴν διὰ τῶν αἰσθήσεων πλάνην καὶ τὴν τοῦ βίου τούτου περιφορὰν καὶ τὴν ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ σύγχυσίν τε καὶ ἄγνοιαν, βασιλεῖ τῷ μεγάλῳ παριστάμενος καὶ τοῦ ἐκεῖθεν φωτὸς πληρούμενος κτλ.' Cf. Themistii epitaph. in patr. 234 b: 'καί σε ἐδέξατο ἱερὰ θεῶν ἀγορὰ καὶ δῆμοι ἀγαθῶν δαιμόνων (quibus angeli Christianorum respondere videntur), εὐφημοῦντές τέ σε καὶ προαπαντῶντες καὶ ἀσπαζόμενοι; Aristides XXXII K. § 34: 'εἰ δὲ ἀληθεῖς οἱ Πινδάρου λόγοι καὶ Πλάτωνος . . . καὶ διατριβαί τινές εἰσι τῶν ἐν Ἅιδου, ἦ που νῦν ποιητῶν τε χοροὺς εἰκὸς ἵστασθαι περὶ ἐκεῖνον, ἀρχομένων ἀπὸ Ὁμήρου τὴν δεξιὰν προτεινόντων καὶ λογοποιῶν καὶ συγγραφέων καὶ ἁπάντων ὡς αὑτὸν ἑκάστου καλοῦντος καὶ μεθ' αὑτοῦ σκηνοῦσθαι κελεύοντος, ταινιούντων, ἀναδούντων κτλ.' ut Nazianzenus etiam Themistius mortuum saepe alloquitur verbis ὦ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλή (cf. etiam orat. in Gorgon. cp. 23). — Himer. in filium § 23: 'Σὺ μὲν οὖν, ὦ παιδίον, πάντως ἐκεῖσε πεπόρευσαι, ἔνθα ὁ δαίμων ἡγήσατο· ἔσῃ δέ, εἰ δυνατόν, διὰ τοῦ πατρὸς ἀθάνατος, κἂν ἐς τὰ μάλιστα ἄνω που μετὰ θεῶν ἀθύρων καὶ ἐκεῖ κατοπτεύοις τὰ σύμπαντα μετ' Ἔρωτος παίζων, μεθ' Ὑμεναίου κωμάζων, μετὰ Βράγχου μαντεύων, μετὰ Τροφωνίου θεοφορούμενος. Οὐ γὰρ εἰκὸς ἦν τοσαύτην ψυχὴν κάτω που δῦναι μᾶλλον ἢ μετὰ θεῶν πολιτεύεσθαι'. — Menandr. rhet. in eadem sententia (Spengel, rh. gr. III 414, 16): 'πείθομαι τὸν μεταστάντα τὸ Ἠλύσιον πεδίον οἰκεῖν, ὅπου Ῥαδάμανθυς, ὅπου Μενέλεως, ὅπου παῖς ὁ Πηλέως καὶ Θέτιδος, ὅπου Μέμνων· καὶ τάχα που μᾶλλον μετὰ θεῶν διαιτᾶται νῦν, περιπολεῖ τὸν αἰθέρα καὶ ἐπισκοπεῖ τὰ τῇδε'. — Cf. Senec. ad Helv. de consolat.: 'tum peragratis humilioribus ad summa perrumpit et pulcherrimo divinorum spectaculo fruitur, aeternitatis suae memor in omne quod fuit futurumque est, vadit omnibus saeculis'.

adiungitur[1]) proprioque exordio ornata est; dicit enim orator optimam consolationem eam esse, quae ab iis, qui ipsi participes sint luctus, porrigatur. Se paene pudere, quod audeat eos consolari, quorum constantia atque patientia in omnium ore sit. Si vero dolor eorum mentem atque rationem obscuraverit, consolationem accipiant parentes et ignoscant, quod ausus sit eos consolari. Iam consolatio ipsa sequitur: Vitam nostram esse brevem (cp. 18)[2]) et quo prius ea discesserimus, eo celerius omnibus malis nos vacaturos esse; nam omnia vana esse (cp. 20). Quare vivis Caesarium querendum non esse, qui his malis liberatus sit, sed eos qui superstites sint[3]). Ut omnibus gaudiis terrenis, quae continentur honoribus, divitiis, eloquentia, scientia, matrimonio, liberis[4]) ereptus sit, ita maioribus gaudiis eum nunc frui in caelo. Nam animos iustorum, cum vinculis corporis morte liberati sint, ad deum proficisci, quem contemplantes mirabilibus voluptatibus affici; animamque[5]) paulo post

---

[1]) Transitionem ad partem consolatoriam ne ceteri quidem praebent epitaphii ut Nysseni, Aristidis; cf. Bauer l. c. pg. 51.

[2]) Cp. 18: ʽοὐδὲ ὁ πᾶς ἀνθρώπων βίος μακρός, ὡς τῇ θείᾳ φύσει καὶ ἀτελευτήτῳ παραβαλεῖν᾽. Cf. Aristid. epitaph. in Eteon. 17: ʽβίος δὲ πᾶς ἀνθρώπου βραχὺς καὶ οὐ πολλοῦ τινος ἄξιος εἰς ἀριθμοῦ λόγον, ἀλλ᾽ ἐάν τε Ἀργανθώνιον ἐάν τε Τιθωνὸν λέγῃ τις, ἐάν τε τὸν τὰς τρεῖς γενεὰς διαρκέσαντα Νέστορα τὸν Πύλιον, πάντας τούτους τοὺς χρόνους συνθεὶς εὑρήσεις ἔλαττον μέρος ὄντας τοῦ παντὸς αἰῶνος ἢ ὅσον εἰπεῖν᾽.

[3]) Cp. 20: ʽΜὴ τοίνυν πενθῶμεν Καισάριον, οἵων ἀπηλλάγη κακῶν εἰδότες, ἀλλ᾽ ἡμᾶς αὐτούς, οἵοις ὑπελείφθημεν᾽. Cf. Themist. epitaph. in patr. (or. 20) 240 b, c: ʽἈλλὰ σοὶ μὲν μακάριός τε καὶ εὐδαίμων ὁ ἀγρὸς καὶ πρὸς ὀλβίους ἀνέδραμες καὶ εὐδαίμονας τοὺς καταπέμψαντας, ἡμᾶς δὲ ἀπέλιπες ἐν τῷ κλύδωνι, τῷ λειμῶνι τῆς Ἄτης, οὐδὲ ἔχοντας, ὅστις χεῖρα ἄλλῳ ὀρέξει ἀνακύπτειν τε πειρωμένους καὶ ἀναδῦναί ποτε τῆς ἰλύος καὶ τοῦ βορβόρου.᾽

[4]) Cf. quae Pseudo-Dionysius in tractatu περὶ ἐπιταφίων de consolatione praescribit Us.-R. II 1, 283: ʽἐν τούτῳ παρατιθέναι ἀναγκαῖον, ὁπόσα ἐν πανηγύρεσι τερπνά, ὅσα ἐν γάμοις, παιδοποιΐαις, τιμαῖς ταῖς παρὰ τῆς πατρίδος᾽.

[5]) Cf. Pseudo-Dionys. l. c. pg. 283: ʽἐπὶ τέλει δὲ περὶ ψυχῆς ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ὅτι ἀθάνατος καὶ ὅτι τοὺς τοιούτους ἐν θεοῖς ὄντας ἄμεινον εἰκὸς ἀπολαβεῖν᾽. similiter Menandr. περὶ παραμυθητικοῦ (rhet. gr. III 414, 22 Sp.): ʽσυγγενὴς γὰρ οὖσα τοῦ θείου ἡ ψυχὴ κἀκεῖθεν κατιοῦσα σπεύδει πάλιν ἄνω πρὸς τὸ συγγενές᾽. Cf. Tac. Agric. 44.

mortem corpus quoque ad se recipere, ut una cum eo particeps fiat gloriae caelestis (cp. 21)[1]).

Ad hanc consolationem adiungit orator adhortationem, qua admonet auditores, ut a terrenis animos convertant ad deum; ita eos quoque consecuturos esse, ut post mortem deum contemplentur. Deus vero recipiat ad se Caesarium et auditores et ipsum oratorem tempore opportuno (cp. 24).

3. De orationis compositione et structura.

Orator ipse in prooemii parte, quae proecthesis audit, compositionis structuram adumbrat: dividit orationem in laudem (cp. 2—15) et consolationem (cp. 18—21), ad quam, ut est apud veteres oratores, adhortationem (cp. 22—24) adiungit. Hae duae partes stricte distiguuntur; pars enim prior donum debitum atque ornamentum defuncti est, pars altera ad propinquos ceterosque auditores refertur. Post peroratam laudem orator ad mortuum ipsum se convertit eique offert laudationem. Haec προσφώνησις, cum in nullo antiquiorum oratorum epitaphio inveniatur, oratorum quarti post Chr. saeculi propria esse videtur. Clare hic τόπος discernitur a ceteris in Himerii monodia in filium, ubi orator conversus ad filium mortuum dicit (cf. p. 40, 2): ʽταύτας μὲν οὖν δέδεξο τὰς χόας κτλ.᾽ Gregorius vero non modo in hac oratione, sed etiam in epitaphio in patrem conscripto hunc τόπον usurpavit, id quod infra videbimus. Qua de re non recte iudicat Bauer (l. c. pg. 12 not. 1),

---

[1]) Cp. 22 occurrit sententia illa nota: ʽβραδύνομεν ἐν τοῖς τάφοις, οἷς περιφέρομεν᾽ = haeremus in sepulcris (corporibus), quae circumferimus. Cf. corp. Hermet. VII 2: ʽπρῶτον δὲ δεῖ σε περιρρήξασθαι . . . τὸν περιφόρητον τάφον᾽. Eandem sententiam Plato a sapiente quodam accepisse dicit Gorg. 493 A: ἤδη του ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς . . . τὸ μὲν σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα᾽ et Cratyl. 400 C; Philolaos ap. Clem. Alex. strom. III 3, 17; Philo de somniis I 22 (pg. 641 M.); cf. G. Anrich, Das antike Mysterienwesen pg. 17. Haec sententia in epithapiis usitata fuisse videtur; legimus enim in Pseudo-Dionysii tractatu περὶ ἐπιτὰφίων l. c. pg. 282: ʽμὴ βουλόμενοι (θεοί) αὐτοὺς ἐν τοῖς κακοῖς τοῖς ἐν τῇ γῇ καλινδεῖσθαι ἢ πολὺν χρόνον ἐγκατορωρύχθαι τὴν ψυχὴν ἐν τῷ σώματι ὥσπερ ἐν τάφῳ ἢ ἐν δεσμωτηρίῳ.᾽ Cf. etiam Zeller, Die Philosophie der Griechen III 2[4] (1903) 259.

cum de epitaphiis dicit: 'Das Lob, aber auch Trost und Klage ist hier Totenopfer'. Et per se patet consolationem et adhortationem, quae pertineat ad auditores, donum defuncti non esse. Sententia autem illa, qua orator laudationem donum atque ornamentum esse significat, quamquam non dubito, quin iam apud veteres Graecos exstiterit, tamen in nullo epitaphio clare exprimitur. Solus Aristides ad eam alludere mihi videtur, cum in fine epitaphii in Eteoneum dicit: 'τάδε coι τὰ παρ' ἡμῶν, τὰ δὲ λοιπὰ μελήcει τῇ πόλει κοινῇ'. Rhetores igitur vel oratores quarti demum saeculi ex hac vel simili sententia profecti proprium τόπον creavisse mihi videntur. —

Iam quaeritur, cui generi orationum funebrium haec oratio adscribenda sit[1]). Atque primum quidem monodia esse non potest, cum θρῆνοι, qui vocantur, plane desiderentur; neque orationem consolatoriam eam iure dixeris, cum in consolationibus laudem secundum tria illa tempora disponendam esse Menander doceat, quam regulam Gregorii Nysseni consolationes sequi Bauer demonstravit. Oratio igitur λόγος ἐπιτάφιος est, quem Menander vocat, cum sequatur orator in laude enarranda seriem illam τόπων ἐγκωμιαςτικῶν, quos in laudationibus adhibitos esse supra (pg. 4) vidimus.

Sed differt compositio huius epitaphii et a Menandri et a Pseudo-Dionysii doctrina, quod θάνατος quoque et ἐκφορά commemorantur, quos τόπους in monodiis adhibendos esse Menander docet. Quo a rhetore Gregorius alia quoque re differt: Menander enim exponit non solum post unumquemque τόπον laudationis θρήνους, sed etiam in fine totius partis laudativae proprium θρήνου τόπον ponendum esse[2]). Gregorius vero nusquam neque in hoc neque in ceteris epitaphiis threnos

[1]) E titulo enim, quem libri exhibent, nihil concludi potest; neque enim is titulus, quem Mignei editio praebet, Gregorii est: εἰς Καιςάριον τὸν [ἑαυτοῦ omittunt multi libri]. ἀδελφὸν ἐπιτάφιος [περιόντων ἔτι τῶν γονέων], neque Hieronymi verbis: 'de morte fratris Caesarii' genuinus titulus contineri mihi videtur, quamquam etiam Suidas praebeat 'περὶ τῆς τελευτῆς τοῦ ἀδελφοῦ Καιςαρίου'.

[2]) Rh. gr. III 419, 13 Sp.: 'πανταχοῦ ἐφεξῆς ἑκάςτῳ τῶν κεφαλαίων παραμιγνυμένου τοῦ πάθους'; III 420, 26: 'οὐκ ἀφέξῃ δὲ τοῦ καὶ ἐν ἑκάςτῃ πράξει θρῆνον ἐμβαλεῖν'; III 419, 21; 420, 5; 421, 10.

admisit; immo se consulto eos praetermittere aperte dicit. Legimus enim in nostrae orationis cp. 22: 'Νυνὶ δὲ ἀφεὶς τοὺς θρήνους εἰς ἐμαυτὸν βλέψω, μή τι θρήνων ἄξιον λάθω φέρων καὶ τὰ ἐμαυτοῦ περιςκέψομαι'; itemque in oratione in Basilium cp. 88 θρῆνοι plane reiciuntur, 'Καὶ οὐκ ἐγὼ μὲν οὕτω θρήνους ἀναμίγνυμι τοῖς ἐπαίνοις'. Gregorium autem in epitaphiis suis de industria θρήνους omisisse cum ex his locis, tum ex alia quoque re optime perspicitur. Nemo enim erit, qui dicat aut ab hoc epitaphio aut ab epitaphio in patrem, qui ambo pertineant ad homines oratori genere proximos, θρήνους alienos fuisse; atque profiteor, cum Gregorii epitaphios cum Aristidis, Libanii, Themistii comparassem, non leviter in eo me offendisse, quod θρῆνοι non solum desunt, sed etiam reiciuntur, oratoremque ipsum inhumanum rudemque iudicavisse. At facile quispiam dixerit Nazianzeno aliquatenus excusationem dandam esse: neque enim ei, ut oratori Christiano, qui mortem ut lucrum praedicet auditoribusque consolationem praebere debeat, licuisse nimium doloris prae se ferre. Sed cum Nysseni consolationes secundum Menandri praeceptum θρήνων plenae sint, mihi persuasum est Nazianzenum in epitaphiis θρήνους ea de causa evitasse, quod non Menandri sed alius praecepta secutus est. Nam per se veri est simile fuisse tunc diversae a Menandro disciplinae oratores, qui θρήνους illos in consolationibus usurpari vetarent; et vetuerat hoc iam Pseudo-Dionysius (Usener-Raderm. pg. II 1, 281): δεῖ δὲ εἰδέναι καὶ τὴν μέθοδον τοῦ παραμυθητικοῦ (i. e. partis consolatoriae orationis funebris)· οὐδὲ γὰρ θρηνεῖν οὐδ' ἀπολοφύρεςθαι τοὺς ἀποθανόντας, οὐ γὰρ ἂν παραμυθοίμεθα τοὺς ὑπολειπομένους — καὶ οὐ δόξει εἶναι τῶν κατοιχομένων ἔπαινος, ἀλλὰ ὀλοφυρμός, ὥςτὰ δεινότατα παθόντων', quare ne in ea parte quidem, qua partem laudativam exponit, θρήνους praescripsit.

Iam liceat orationis dispositionem breviter repetere:

I. Prooemium cp. 1.
II. Ἔπαινος cp. 2—15.
  1) γένος cp. 2—4.
  [2) κάλλος cp. 5.]
  3) παιδεία cp. 5—6.
  4) πράξεις et ἀρεταί cp. 7—14.

5) θάνατος cp. 15.
6) ἐκφορά cp. 15.
III. Προσφώνησις cp. 16—17.
IV. Παραμυθία cp. 18—21.
V. Συμβουλή cp. 22—23.
VI. Epilogus.

B. Oratio in Gorgoniam sororem.

(Migne P.G. vol. 35, 790 seqq.)

Oratio in titulo, quem libri tradunt, audit ἐπιτάφιος, neque aliter Gregorius ipse ἐπιτάφιον eam vocat (cp. 23). Cave tamen ne genus orationis his testimoniis constare opineris. Etenim si accuratius duas illas rationes, quibus inprimis genus cognoscitur — tempus dico orationis et compositionem — percensueris, neque auctorem tituli libris traditi neque Gregorium proprie et distincte locutos esse invenies, cum orationem ἐπιτάφιον dicerent. Quaeramus igitur, et quo anno Gorgonia defuncta et quo anno oratio habita sit.

Gorgoniam post mortem Caesarii vita decessisse concluditur ex orationis cp. 23: δέχοιο καὶ τὸν ἡμέτερον λόγον ἀντὶ πολλῶν καὶ πρὸ πολλῶν ἐνταφίων, ὃν Καισαρίῳ μὲν πρὸ σοῦ καὶ σοὶ μετ' ἐκεῖνον ἀποδεδώκαμεν, ἐπειδή γε ἀδελφῶν ἐπιταφίοις ἐταμιεύθημεν. Parentes quoque superstites fuisse, cum moreretur filia, sequitur ex orationis cp. 5, ubi de parentibus dicit orator: ὧν βραχὺ μὲν τὸ τῆς ζωῆς λείψανον καὶ ὅσον ὑπελείφθη τῇ εὐσεβείᾳ' et e cp. 17: 'καὶ τὸ κακὸν οὐκ ἀνθρώπινον ἐνομίζετο καὶ οὔτε ἰατρῶν ἤρκουν τέχναι . . . οὔτε γονέων δάκρυα' et e cp. 40 orationis in Gregorium patrem: 'τῶν τέκνων, ἃ προκατέθαψας' matremque ipsam filiae morienti adfuisse legimus in cp. 22. Cum autem Caesarius c. a. 369 et pater, ut infra (pg. 48) videbimus, c. a. 374 mortui sint, inter hos duos terminos et Gorgoniae mors et haec oratio ponendae sunt. Haec sunt, quae certa duco; artioribus finibus, cum testimonia desint, annum orationis circumscribere non licet. Ex his igitur nihil ad genus orationis definiendum effici patet.

Sed quamquam tempus neque mortis Gorgoniae neque orationis stabiliri possit, tamen pro certo affirmare licet hanc

orationem funebrem non esse. Quod sequitur ex ipsa orationis compositione. Deest enim ea pars, quam et epitaphii et orationes consolatioriae praebent, consolatio. Neque parentes neque maritum neque liberos neque propinquos alloquitur orator, sed omnino ad Christianos urbis Iconii, ubi oratio habita est, sese convertit[1]); neque porro in prooemio consolationis mentionem facit, sed laudare tantum atque adhortari se velle dicit cp. 3: 'φέρε δὴ προσβῶμεν τοῖς ἐγκωμίοις, τὴν δὲ ὀφειλομένην ὁσίαν ὡς ἄλλο τι χρέος τῶν ἀναγκαιοτάτων ἀποπληροῦντες καὶ ἅμα τοὺς πολλοὺς εἰς ζῆλον καὶ μίμησιν τῆς αὐτῆς ἀρετῆς ἐκπαιδεύοντες'. Laus igitur coniuncta est cum adhortatione: Gorgoniae virtutes deinceps enumerantur, miracula quaedam proferuntur, auditoresque admonentur, ut eius exemplum sequantur et imitentur. Denique ne monodia quidem oratio esse potest, cum careat threnis.

Statuendum igitur est orationem in Gorgoniam die memoriali ad sororis memoriam recolendam post annum 369 et ante annum 374 habitam esse. — Itaque cum oratio funebris non sit, supersedeo plura verba de ea facere: redeo ad ceteros Gregorii quos proprie dicimus epithaphios.

C. Oratio in Gregorium patrem.

(Migne, P. G., vol. 35, 981 seqq.)

1. Quo tempore oratio habita sit.

Ut definiamus, quo tempore haec oratio habita sit, quaerendum est, quo anno pater mortuus sit. Atque primum quidem

[1]) Orationem Iconii habitam esse negari non potest, quamquam in 'Monito' huic orationi praemisso (Migne 35, 789) legitur locum incertum esse; alii vero in urbem Arianzum orationem transtulerunt. Nam Gorgonia Iconii nupta erat Alypio — hoc nomen mariti fuisse, neque Meletium neque Vitalianum (Tillemont l. c. IX 380, Migne 35, 789) certo efficitur e Gregorii epigr. 24 (Migne 38, 21 et 37, 160) — qui civis Iconiensis fuit; deinde parentes Gorgoniae nominatim ab oratore commemorantur (cp. 4: Γρηγόριον λέγω καὶ Νόνναν τὴν τοῦδε σύζυγον), quod necessarium non erat, si Arianzi in patria orationem dixisset. Praeterea facta quaedam Gorgoniae auditoribus notissima esse sumit orator, id quod apud eos solos auditores facere poterat orator, quibuscum Gorgonia maius vitae spatium vixerat.

hoc constat: pater sicut post Caesarii mortem, quam c. a. 369 accidisse modo demonstravimus (p. 35), sic — oratio id docet — ante Basilium, qui anno 379 occubuit, vita cessit. Accuratiorem temporis terminum facile colligimus e Gregorii epistula 63 (Migne vol. 37), qua perspicitur patrem Gregorium eodem tempore mortuum esse, quo Amphilochius episcopus Iconiensis factus est. Amphilochii enim patrem valde querentem, quod filius hoc munus susceperit, his verbis Gregorius epistula illa consolatur: 'ἐμὲ δὲ οὐκ ἀνιᾷ πατὴρ τὴν τελευταίαν ἐκδημίαν ἀφ' ἡμῶν ἐκδημήϲαϲ, ἐξ ἧϲ οὐκέτι πρὸϲ ἡμᾶϲ ἀναλύϲει οὐδὲ παρ' ἡμῶν ὀφθήϲεται. Εἶτα ἡμεῖϲ μὲν οὐδὲ ἐγκαλοῦμεν οὐδὲ τὴν ὀφειλομένην ἀπαιτοῦμεν παραμυθίαν εἰδότεϲ, ὅτι τὰ ἴδια κακὰ καιρὸν οὐ δίδωϲι τοῖϲ ἀλλοτρίοιϲ ϲχολάζειν', (cf. etiam Migne 37, pg. 57 c). Iam quo tempore Amphilochius ad cathedram episcopalem pervenerit, concluditur e Basilii epistula 138 (Migne): quam epistulam initio hiemis a. 373/4 scriptam esse post Loofsiium Ed. Schwartzius demonstravit[1]). Legimus autem in hac epistula Basilium ab incolis Iconii arcessitum esse, ut novum episcopum urbi daret, cum Faustinus mortuus esset (τετελευτήκει γὰρ ὁ Φαυϲτῖνοϲ). Cum autem verisimile non sit Amphilochium statim post hanc Basilii epistulam episcopum factum esse — Basilio enim eodem tempore aegrotanti rem maturare non licuit (epist. 138)[2]) — et cum Amphilochius ineunte anno 374 munere episcopali iam functus sit, ut idem v. d. Loofs[3]) demonstravit ex Basilii epistula 161, statuendum est eum vel exeunte anno 373 vel ineunte anno 374 ad hanc dignitatem provectum esse.

Ad accuratiorem etiam et certiorem terminum perveniemus, si hoc consideraverimus. Haec enim oratio est oratio funebris die funeris ipso, ut modo exponam, praesente Basilio dicta. Cum autem Basilius et autumno et ineunte hieme

---

[1]) Fr. Loofs, Eustathius von Sebaste und die Chronologie der Basiliusbriefe, Halle 1898, pg. 30 seqq.; Ed. Schwartz, G. G. N. (1904) 367, 3.

[2]) 'Αὕτη ('Ικόνιον πόλιϲ) καλεῖ καὶ ἡμᾶϲ εἰϲ ἐπίϲκεψιν ὥϲτε αὐτῇ δοῦναι ἐπίϲκοπον. Εἰ οὖν δεῖ μὴ κατοκνεῖν τὰϲ ὑπερορίουϲ χειροτονίαϲ, . . . ἐδεόμην διδαχθῆναι αὐτὸϲ δι' ἐμαυτοῦ ϲυντυχὼν τῇ τιμιότητί ϲου, ὧν πάντων ἀπεϲτερήθην διὰ τὴν παροῦϲαν ἀϲθένειαν.'

[3]) Loofs, l. c. pg. 46 not. 3.

anni 373 aegrotaverit patriamque relinquere non potuerit[1]), nihil relinquitur, quam ut mortem Gregorii patris orationemque nostram in initio anni 374 ponamus. Quocum termino mirum in modum Menologia, quamquam horum testimonio non nimia vis attribuenda est, consentiunt, quibus traditur Gregorium patrem Kalendis Ianuariis mortem obisse[2]).

Et quoniam annum mortis et orationis definivimus, perscrutemur eandem, quam modo in Gorgoniae laudatione disputavimus, quaestionem, qua occasione haec oratio dicta sit.

Atque primum quidem oratio constat e laude et consolatione, ita ut eam paulo post mortem habitam esse facile colligamus. Deinde e Gregorii ipsius verbis concludimus eam ad sepulcrum ipsum dictam esse. Ita enim orator (cp. 40): 'κἀμὲ ταῖϲ αὐταῖϲ δέξαι ϲκηναῖϲ ἢ μηδὲν ἔτι ἢ μικρὰ τῷ βίῳ τούτῳ κακοπαθήϲαντα· καὶ πρὸ τῶν ϲκηνῶν τῷ γλυκεῖ λίθῳ τούτῳ, ὃν ἀμφοτέροιϲ ἔϲτηϲαϲ, τιμῶν κἀνταῦθα τὸν ϲὸν ἱερὸν καὶ ὁμώνυμον'. Tum orationem vocat cp. 40: 'εἴτε προπεμπτήριον εἴτε ἐπιτάφιον τοῦτον ἔπαινον'. Προπεμπτήριοϲ λόγοϲ autem genus proprium laudationum est, quo orator amicis discedentibus vale dicit. Etiam e verbis, quae legimus cp. 41: 'ϲυμφιλοϲοφῆϲαι τὰ ἐπικήδεια' effici mihi videtur orationem ad funus pertinere. Servius enim in comm. in Vergil. eclog 5, 14 exponit: 'epicedion est, quod dicitur cadavere nondum sepulto'[3]).

Oratio igitur in Gregorium patrem est oratio funebris, quae initio anni 374 ad sepulcrum vel die funeris ipso vel paucis diebus post habita est.

---

[1]) Loofs, l. c. pg. 31: 'Diese Krankheit, die noch im Herbst (ep. 139) und im Anfang des Winters 373 (ep. 156) andauerte usw.'; vide notas pg. 31.

[2]) Clinton, Fast. Roman. I 483; Tillemont IX 396; Ullmann l. c. 126. Anno 375 Amphilochium episcopum iam fuisse apparet e Theodoret. IV 30, qui ad hunc annum tradit: ἐν ἐπιϲκόποιϲ δὲ . . . ἐν Πιϲιδίᾳ Ὄπτιμοϲ καὶ Ἀμφιλόχιοϲ ἐν Λυκαονίᾳ. Cf. Clinton, l. c. pg. 487.

[3]) De epicediis vide Schantz, De incerti poetae consolatione ad Liviam deque carminum consolatoriorum apud Graecos et Romanos historia Marp. 1889, pg. 16 et Bauer, l. c. pg. 15.

2. Argumentum orationis.

Προcφώνηcιc ad Basilium:

Alloquitur orator Basilium, qui funeri interest, eumque rogat, quibus causis commotus illuc venerit. Eum venisse aut sui (oratoris) aut pastoris illius ecclesiae (patris Gregorii) aut gregis civium Nazianzenorum visendi causa (ἡμῶν, τοῦ ποιμένοc, τῆc ποίμνηc). Se esse semimortuum, patrem mortuum, gregem tristem atque afflictum maerore. Quorum ut suum cuique tribuat atque det, Basilium orat orator: mortuum laudet, gregem atque se ipsum consoletur. Atque profert orator breve argumentum orationis, quam Basilium mox habiturum esse quasi praesagiente animo enuntiat. Sese, ne Basilii laudatio Gregorii patris gloriam 'δι' ἄγνοίαν τῶν ἐκείνου καλῶν' deminueret, tantummodo partes quasdam e vita patris constituisse depromere atque enarrare breviterque laudem eius adumbrare; Basilium, peritissimum harum rerum pictorem, materia accuratius formata elegantiusque expolita apud omnes homines mortui laudem praedicaturum esse (βραχέα τῆc εὐφημίαc, ἐξ ὧν αὐτὸc cυνεπίcταμαι τῷ ἀπελθόντι cκιαγραφήcω καὶ προχαράξω καὶ παραδώcω coι, τῷ καλῷ τῶν τοιούτων γραφεῖ, τῆc ἀρετῆc ἐκείνου τὸ κάλλοc ἀπακριβῶcαι καὶ παραδοῦναι ταῖc πάντων ἀκοαῖc τε καὶ διανοίαιc).

Laudatio: Orator cum ad laudem ipsam transit, singulos τόπουc, quibus in laudationibus uti soleant, se praeterire dicit cp. 5: 'ἵνα πατρίδα καὶ γένοc καὶ cώματοc εὐφυΐαν καὶ τὴν ἔξωθεν περιφάνειαν καὶ τἄλλα, οἷc μέγα φρονοῦcιν ἄνθρωποι, τοῖc τῶν ἐγκωμίων νόμοιc παρεὶc ἐκ τῶν ἡμῖν πρώτων καὶ οἰκειοτάτων ἄρξωμαι κτλ.' Omittit igitur τόπουc πατρίδοc, γένουc, κάλλουc eumque, quem rhetores τὰ τῆc τύχηc vocant. Neque vero plane genus commemorare supersedit: confitetur patrem loco minime laudabili ortum; eum enim aeque ac maiores sectae Hypsistariorum addictum fuisse. Eo magis autem laudandam esse sive Dei gratiam sive voluntatem illius, qua factum sit, ut falsa ac perversa illorum doctrina, qua puer imbutus erat, abiecta Christianorum fidem amplecteretur (cp. 5). Sed multos homines Christianis optimo iure

adnumerari posse, quamquam fidem sanctam nondum confiteantur, quia et moribus et virtutibus et bene factis excellant: ita patrem quoque dignum Christiano nomine fuisse, priusquam baptizatus esset: praestitisse eum et cωφροcύνῃ et δικαιοcύνῃ et φρονήcει[1]). — Hic est τόποc ψυχῆc εὐφυΐαc, quem rhetores vocant.

Verbis: 'γυναῖκα μὲν ἀνδρείαν τίc εὑρήcει' (Proverb. 31, 10) et 'γυναικὸc ἀνὴρ χρῆμ' οὐδὲν ληΐζεται κάλλιον ἐcθλῆc οὐδὲ χεῖρον τῆc ἐναντίαc' (Simonid. fr. 6) transit orator ad laudem uxoris Gregorii matris (cp. 7—12): illam mariti animum paulatim precibus adhortationibus opprobriis suisque virtutibus flexisse eumque ad fidem Christianam convertisse. Cum autem pater baptizaretur, miraculum accidisse (cp. 13—14).

Sequitur is τόποc, quem rhetores praeter Menandrum ἐπιτηδεύματα vocant: professio vel vitae institutum laudatur. Patrem dicit Gregorius sacerdotem et episcopum factum esse; cum autem priore episcopo multo ante mortuo ecclesia neglecta esset, eum pristinum statum restituere conatum et brevi tempore ad tantam gloriam atque amplitudinem progressum esse, ut seditio orta una eius auctoritate sedaretur. Sed pergit orator: hac re se iam praeoccupavisse quod in explanatione factorum sibi exponendum esset. Iam igitur ad novam partem his verbis transitum sibi parat: cp. 18: 'Ἀλλ' ὁ μὲν περὶ τούτων λόγοc μικρόν τι προεκδραμὼν ἐνταῦθα μεινάτω'.

Antequam enim ad facta illustranda accedat orator, laudat virtutes (cp. 19—27): patrem tot tantisque virtutibus praeditum fuisse, ut omnes enumerari non possent. — Singulas nihil attinet virtutes hic referre; id notandum est praeter patris virtutes nonnumquam matris quoque laudari (cp. 21), nec virtutes una cum factis, sed per se solas exponi.

Patris autem virtutes, docet orator, certis testimoniis confirmatas esse: Deum enim ipsum eas signorum ac mira-

[1]) Tres e Socraticis virtutibus sunt, quas ad laudem rerum a rege in pace gestis referendas esse Menandrus docet (Spengel III 373). ἀνδρίαν vero ad bella gesta pertinere. Me recte hanc partem τόπον ψυχῆc εὐφυΐαc vocasse etiam inde apparet, quod virtutes per se copiose cpp. 19—27 tractantur.

culorum testimoniis confirmavisse 27: 'τὸν δὴ τοιοῦτον μὲν γεγονότα, οὕτω δὲ τῆς ἱερωςύνης προςτάντα, τοιούτης δὲ παρὰ πᾶςι δόξης τετυχηκότα, τί θαυμαςτὸν καὶ ςημείων ἀξιωθῆναι, οἷς βεβαιοῖ θεὸς τὴν εὐςέβειαν;[1]) Et enarrat orator ςημεῖα illa, quae et patri (cp. 28—29) et matri (cp. 30) acciderunt; ultimum vero addit miraculum, cuius ambo participes fuerint (cp. 31).

Atque sequuntur πράξεις (cp. 32—37); quo in loco Gregorius dicit se τῆς τῶν καιρῶν δυςχερείας τὴν μνήμην facturum esse. Atque primum quidem Iuliani ducem ecclesiam aggredi conantem ab eo propulsatum esse (cp. 32); paulo post Caesariensibus et imperatori ipsi studentibus episcopum rite ac legitime creatum amovere, fortiter eum restitisse (cp. 33—34). Quo episcopo mortuo, cum nova Caesareae orta esset seditio, eum effecisse, ut Basilius episcopus fieret (cp. 35—36). Eadem fortitudine haereticis eum se opposuisse (cp. 37).

Θάνατος: Centum fere annos natum summa gloria florentem patrem mortem obisse. — Ne vero posteri eius memoriam obliviscirentur, templum ab eo exstructum esse, quod orator fuse describit (cp. 39)[2]).

Προςφώνηςις ad patrem: Offert filius patri hanc laudationem eumque orat, ut, si ei sufficiat, accipiat (ἀπέχεις τῶν πόνων τὰς ἀμοιβὰς . . . τὸν εἴτε προπεμπτήριον εἴτε ἐπιτάφιον τοῦτον ἔπαινον). Dicat, ubi versetur, dirigat gubernetque gregem, cuius pastor fuerit, et oratorem filium (cp. 40).

Προςφώνηςις ad Basilium: Ad Basilium denuo conversus rogat Gregorius, ut is iudicium ferat de laudatione: quae si sufficiat, dicat; si non, ipse sua oratione sibi auxilio veniat detrimentumque sarciat; vocem tollat, laudationem incipiat, ut pater ea meliore fruatur. — Restare vero, ut matri consolationem praebeat (τῇ πνευματικῇ Σάρρᾳ . . . ςυμφιλοςοφῆςαι τὰ ἐπικήδεια).

[1]) Quam sententiam, quamvis forte credas Christianorum solorum propriam esse, iam in paganorum epitaphiis invenimus. Legimus enim in Libanii epitaphio in Iul. cp. 40: 'τῆς δὲ τῶν θεῶν πρὸς αὐτὸν εὐνοίας εὐθὺς ἐναργὲς ἀπὸ γραμμῆς τὸ ςύμβολον κτλ.' et cp. 41 idem orator alterum deorum signum addit: 'καὶ μὴν κἀκεῖνό γε ςημεῖον τῆς βελτίονος τύχης κτλ.'

[2]) Quam partem tractavit B. Keil apud J. Strzygowski, Kleinasien ein Neuland der Kunstgeschichte 1903, pg. 94 seq.

Consolatio (cp. 42—43): Res humanas prorsus diversas esse a rebus divinis; has esse constantes et aeternas, illas fluxas et caducas. Unam esse vitam respicere ad vitam aeternam, unam mortem peccatum. Cum moriamur, separari nos omnibus erroribus fallaciisque; mortuos ad lumen aeternum nos migraturos esse; quare mortem lamentandam non esse (cp. 42). Si vero doleat mater, quod a marito separata sit, illum hac separatione laetari. Nec diuturnum dolorem fore, cum ipsi brevi eum secuturi sint. Ut autem illa mortem liberorum aetate florentium tulerit, ita hanc quoque calamitatem patienter ferat. Se ipsum eius curatorem et tutorem esse atque fore. Si vero aegre ferat, quod ausus sit eam consolari, consolationem non illi, sed omnibus, qui maerore affecti sint, se praebere (cp. 43).

3. De orationis compositione.

Oratio maxime admirationem nostram movet, quia orator Basilii praesentiam sollerter cum epitaphio ipso coniungere scivit. Nam cum Basilius Caesarea Nazianzum venisset, ut episcopum defunctum, cuius opera et auxilio ipse ad hanc dignitatem provectus erat, laudaret, Gregorio certe adventus archiepiscopi Caesareensis oratione compellatoria (λόγῳ προςφωνητικῷ)[1]) celebrandus erat. Sed cum Nazianzenus ipse patrem oratione laudare sibi proposuisset, has duas orationes artificiose ita connexuit, ut fingeret se Basilio materiam porrigere, e qua ille suam laudationem conficeret. Qua re id quoque intellegimus, cur non in fine totius orationis, sed perorata parte laudatoria Basilium alloquatur et roget, ut suam laudationem incipiat. Videmus igitur Gregorium satis non habuisse rhetorum praecepta stricte sequi, sed, si tempus et occasio postulabant, illorum schema ad suum usum immutare vel amplificare non dubitavisse. Quod in hac oratione summa arte eum perfecisse nemo erit, qui neget. Quamquam haec allocutio, si non ex ratione artis rhetoricae, sed ex sensu iudicioque hominum communi consideratur, minime ad totam rerum condicionem convenire videtur: haud leviter enim in eo offendimus, quod

[1]) Cf. Pseudo-Dionysii et Menandri artes. Volkmann, l. c. pg. 346. Himerius plurimas orationes compellatorias composuit.

filius, qui summo dolore affectus esse debebat, praesente matre maerore afflicta, orationem funebrem orditur a laudatione alterius hominis blanditiis referta. —

Si primam hanc orationis partem resecamus, restat, qui vocatur, λόγος ἐπιτάφιος; nam λόγον ἐπιτάφιον non παραμυθητικόν esse ex iis, quae supra exposui, apparere mihi videtur: et desunt threni et consolatio brevissima est; nam capita 5—39 laudem, capita 42—43 consolationem continent. Itaque in hac quoque oratione duas istas partes acriter et perspicue inter se distinctas et separatas invenimus: ut enim in oratione in Caesarium is τόπος, quo offert orator mortuo laudationem, interpositus est, ita in hoc epitaphio allocutio illa ad patrem invenitur (cp. 40).

Quod autem laudem ipsam attinet, statuendum est oratorem plures τόπους ἐγκωμιαστικούς tangere quam in oratione in Caesarium; sunt πατρίς, τὰ τῆς τύχης, ad quem τόπον verbis τὴν ἔξωθεν περιφάνειαν orator alludere videtur, φύσις ψυχῆς, ἐπιτηδεύματα vel professio. Qui τόπος, cum in oratione in Caesarium non ita comparatus sit, ut a ceteris τόποις distingui possit, hoc epitaphio aperte a ceteris separatur: cp. 15—18 enim fuse exponitur patrem sacerdotem et episcopum factum esse; res autem, quas pater in hoc munere gessit, huic parti orator non subiecit, sed τόπῳ proprio post enumeratas virtutes tractavit (cp. 32—37). Ita Gregorius πράξεις et ἀρετάς separatim exponit. Quam partitionem a Xenophonte primo adhibitam et ab Isocrate receptam posteriores rhetores et oratores secuti non esse videntur. Menander solus eandem divisionem exhibet; ea vero re a Xenophonte differt, quod hic virtutes post facta, ille ante facta ponit. Gregorii autem temporibus usitatum non fuisse virtutes seorsim tractare concluditur e Iuliani verbis, quippe qui aperte pronuntiet orationem suam in Constantium imperatorem compositam ipsa ea, de qua agimus, partitione omnibus ceterorum orationibus excellere et ab iis differe (Iul. orat. in Constant. imp. p. 5 H.): 'τίς ἂν οὖν ἡμῖν ἀρχὴ καὶ τάξις τοῦ λόγου γένοιτο καλλίστη; ἢ δῆλον ὡς ἡ τῶν προγόνων ἀρετή, δι' ἣν ὑπῆρξέ σοι καὶ τὸ τοιούτῳ γενέσθαι; τροφῆς δὲ οἶμαι καὶ παιδείας ἑξῆς προσήκει μνησθῆναι ... ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις ὥσπερ γνωρίσματα τῶν τῆς ψυχῆς ἀρετῶν τὰς πράξεις διεξελθεῖν καὶ τέλος ἐπιθέντα τῷ λόγῳ τὰς ἕξεις δηλῶσαι, ὅθεν ὁρμώμενος τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων ἔδρασας καὶ ἐβουλεύσω. τούτῳ γὰρ οἶμαι καὶ τῶν ἄλλων πάντων διοίσειν τὸν λόγον. οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν πράξεων ἵστανται ... ἐγὼ δὲ οἶμαι δεῖν περὶ τῶν ἀρετῶν τὸν πλεῖστον λόγον ποιήσασθαι, ἀφ' ὧν ὁρμώμενος ἐπὶ τοσοῦτον τῶν κατορθωμάτων ἦλθες. τὰ μὲν γὰρ πλεῖστα τῶν ἔργων, σχεδὸν δὲ πάντα, τύχη καὶ δορυφόροι καὶ στρατιωτῶν φάλαγγες ... τὰ δὲ τῆς ἀρετῆς ἔργα μόνον τέ ἐστι τοῦ δράσαντος, καὶ ὁ ἐκ τούτων ἔπαινος ἀληθὴς καθεστὼς ἴδιός ἐστι τοῦ κεκτημένου'. Ut Xenophon igitur, ita Iulianus virtutes post explanationem factorum laudat et singulas virtutes factis testimoniisque oppositis confirmat. Gregorius vero nusquam neque in hac oratione neque in oratione in Basilium, quae eandem partitionem factorum et virtutum exhibet, in ea parte, quae laudem virtutum continet, facta vel testimonia affert, qua re cum Menandro consentit.

Duobus autem testimoniorum generibus orator patris virtutes confirmat; primum enim novo laudationum τόπῳ usus miraculis eas probat. Deinde ex factis patris rebusque gestis argumenta virtutum parare studet, quae argumentandi ratio ex ipsis transitionibus perspicitur: orator enim postquam cp. 32 primum patris factum exposuit, pergit capite sequenti (cp. 33): 'ἕτερον δὲ τοῦ αὐτοῦ καὶ τῆς αὐτῆς ἀνδρίας διήγημα', qua parte perorata novum adiungit factum verbis (cp. 35): 'ὃ δὲ τελευταῖον μὲν τῶν ἐκείνου τῇ τάξει, πρῶτον δὲ τῇ δυνάμει καὶ μέγιστον', sequentemque narrationem incipit a verbis (cp. 37): 'τοῦ δὲ αὐτοῦ ζήλου καὶ ἡ κατὰ τῶν αἱρετικῶν ἔνστασις'.

Denique θάνατος sicut in epitaphio in Caesarium commemoratur; deest vero descriptio ἐκφορᾶς.

Pars consolatoria easdem sententias atque ceterae consolationes praebet. Notandum autem est adhortationes oratorem plane omisisse; neque id sine causa: cum constitutum esset orationes haberi duas, Gregorii ut filii erat et memoriam patris laudatione celebrare et matrem consolari; ad Basilium, quippe qui superiore munere ecclesiastico fungeretur, adhortationes quasi lege pertinebant.

D. Oratio in Basilium.

(Migne, P. G. vol. 36, 493 seqq.).

Omnium Gregorii orationum hanc maxime posteriorum rhetorum admirationem movisse inde apparet, quod plurimos ex ea locos artium auctores sumpserunt, quae studiosis eloquentiae exempla proponerent. Omnium eius epitaphiorum hic copiosissimus perfectissimus elegantissimus est. Atque tantopere inter laudationes ceterorum oratorum excellit, ut apud Christianos vel apud ipsos paganos auctores vix similis inveniatur. Quid? Libanii celeberrimum illum epitaphium, si non superat, ei certe parem esse putandam hanc Gregorii orationem iudico. Quod enim Nordenus, oratorum iudicandorum vir peritissimus atque sagacissimus, dicit[1]): 'Tatsache aber ist, daß es sicher unter den christlichen, vielleicht nicht einmal unter den heidnischen jemand gibt, der mit so großer und in ihrer Art wirklich bewunderungswürdigen Technik und Raffiniertheit die Gesetze der antiken Rhetorik beobachtet wie gerade Gregor', hoc iudicium imprimis ad hanc orationem referri potest. Quare non dubitavi hanc orationem, quamquam funebribus adnumerari non potest, ut demonstrabo, tamen hoc loco tractare.

Per se autem patet hanc laudationem non ea forma, quam nunc tenemus, a Gregorio dictam esse. Quod non solum ex orationis ambitu, sed etiam ex illius argumento efficitur: neque enim orationes tantae amplitudinis habentur neque crediderim oratorem apud Christianos urbis Caesareae, apud quos orationem Gregorium habuisse e prooemio apparet, Homerum Hesiodum Pindarum laudavisse aut fabulas heroesque antiquorum Graecorum commemoravisse[2]). Quamquam falsa esset sententia eorum, qui contenderent Gregorium orationem finxisse, dixisse nunquam. Nam primum quidem ex eo, quod causas affert probabiles, quibus prius orationem habere prohibitum se esse

---

[1]) Zeitschr. f. wissensch. Theolog. 1893 v. II pg. 441.

[2]) Gregorium litterarum Graecorum antiquorum peritissimum fuisse dudum v. d. observaverunt statueruntque eum inprimis poetarum opera novisse ut Homeri, Hesiodi, Tragicorum, Empedoclis, Callimachi, Theocriti, Apollonii Rhodii, Arati, Nicandri, Oppianorum, Parthenii (vid.

exponit orator, efficitur nostrae orationi laudationem subesse, quae vere dicta est. Deinde nemo mihi persuadebit Gregorium satis habuisse Basilii, familiarissimi amici, laudem litteris

---

not. pg. 1). Pauca addere liceat. In carm. de humana nat. vers. 27 seq. (Migne, 37, 757) legimus:

'῎Εμπεδον οὐδέν· ἔγωγε ῥόος θολεροῦ ποταμοῖο
αἰὲν ἐπερχόμενος, ἑσταὸς οὐδὲν ἔχων
— — — — — — — — —
Οὔτε δὶς ὃν τοπάροιθε, ῥόον ποταμοῖο περήσεις
ἔμπαλιν, οὔτε βροτὸν ὄψεαι, ὃν τὸ πάρος.'

Gregorius repetit notam illam imaginem, qua Heraclitus rerum mutationem explicat; cf. Heracliti frgm. (Diels, Die Fragmente der Vorsokratiker pg. 79, frgm. 91): 'ποταμῷ γὰρ οὔκ ἔστιν ἐμβῆναι δὶς τῷ αὐτῷ καθ' Ἡράκλειτον (cf. etiam Dielesii frg. 12 pg. 68, vel Platon. Cratyl. 402 A). Theologum hoc loco Heraclitum imitari iam Nordenus animadvertit. (Annal. Fleckeis. supplem. XIX pg. 386 not. 2; cf. etiam Wilamowitzii comment. gramm. III 15). Neque vero sententia sola Heraclitea est, sed verba ἔμπεδον οὐδέν Heracliti ipsius verba esse contendo. Lucianus enim Heraclitum doctrinam suam exponentem illa locutione utentem facit; atqui eodem Luciani loco certum Heracliti fragmentum exstat: legitur enim in Luciani vit. auct. 14: 'σὺ δὲ τί κλάεις, ὦ βέλτιστε; πολὺ γὰρ οἶμαι κάλλιόν σοι προσλαλεῖν. — Ἡράκλειτος· Ἡγέομαι γάρ, ὦ ξεῖνε, τὰ ἀνθρωπήϊα πρήγματα ὀϊζυρὰ καὶ δακρυώδεα ... τῷ δὴ οἰκτείρω τέ σφεας καὶ ὀδύρομαι ... ταῦτα ὀδύρομαι καὶ ὅτι ἔμπεδον οὐδέν, ἀλλά κως ἐς κυκεῶνα πάντα συνειλέονται καὶ ἔστι τωὐτὸ τέρψις ἀτερψίη, γνῶσις ἀγνωσίη, μέγα μικρόν, ἄνω κάτω, περιχωρέοντα καὶ ἀμειβόμενα ἐν τῇ τοῦ αἰῶνος παιδιῇ. — Τί γὰρ ὁ αἰών ἐστιν; — Ἡρ. Παῖς παίζων, πεσσεύων <συμφερόμενος> διαφερόμενος, quod Heracliti fragmentum esse perspicitur ex Hippol. refut. IX 9 (Diels frgm. 52 pg. 74). Quare mihi persuasum est ἔμπεδον οὐδέν Heracliti ipsius verba esse eiusque fragmentis inserenda. — E multis locis, qui ad Aristotelem, cuius opera Nazianzenus excerpsit (Prantl, Geschichte der Logik I 667), recedunt, unum exemplum proferam; legimus in carm. de ira vers. 31 seqq. (Migne 37, 815):

'ἀνδρῶν παλαιῶν συλλογὰς σκοπούμενοι
ὅσοι διεσκέψαντο πραγμάτων φύσεις.
εἰσὶν μὲν οἳ λέγουσιν αἵματος ζέσιν
τοῦ γειτονοῦντος καρδίᾳ τὴν ἔκστασιν,
ὅσοι νέμουσι τὴν νόσον τῷ σώματι
ὥσπερ τὰ πολλὰ τῶν παθῶν ἄλλοις τισίν.
ἄλλοι δ' ὄρεξιν εἶπον ἀντιπλήξεως
(ψυχῇ διδόντες τὴν βλάβην, οὐ σώματι)
ὀργὴν δὲ τὴν ὁρμῶσαν κτλ.'

tantum tradere; immo eum, qua erat amicitia reverentiaque adversus episcopum Caesareae, ubi Basilius mortuus ac sepultus erat, eius laudem die memoriali publice praedicavisse mihi persuasum est. Hanc quam ipse habuit orationem, postea

Cf. Arist. de anima I 1 403a 25: εἰ δὲ οὕτως ἔχει, δῆλον ὅτι τὰ πάθη λόγοι ἔνυλοί εἰσιν . . . διαφερόντως δ' ἂν ὁρίσαιντο φυσικοί τε καὶ διαλεκτικοὶ ἕκαστον αὐτῶν, οἷον ὀργή ἐστιν· ὁ μὲν γὰρ ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως ἤ τι τοιοῦτον, ὁ δὲ ζέσιν τοῦ περὶ καρδίαν αἵματος καὶ θερμοῦ κτλ.' — E Diogene Laertio cum aliae tum haec quoque narratiuncula hausta esse videtur, quae legitur in carm. de virtute vers. 778 (Migne 37, 736):

'Ξενοκράτην λέγουσιν, ὡς πόρνης τινὸς
οἷ προσριφείσης ἔκ τινων πειρωμένων
(καὶ γὰρ καθεύδων νυκτός), ἥνικ' ᾔσθετο
οὔτ' ἐπτοήθη τῷ ξένῳ τῆς ὕβρεως
οὔτ' ἐξανέστη ἢ φυγεῖν ἠνέσχετο·
ἄμφω γὰρ εἶναι δεύτερα Ξενοκράτους·
οὕτω δ' ἀκίνητός τε καὶ ἄτρωτος ἦν,
ὥστ' ἐκφυγοῦσαν ἀσμένως βοᾶν· τί με
νεκρῷ παρευνάσαντες ἠπατήσατε;'

Cf. quod Diogenes Laertius IV 2 de Xenocrate dicit: 'καί ποτε καὶ Φρύνην τὴν ἑταίραν ἐθελῆσαι πειρᾶσαι αὐτὸν καὶ δῆθεν διωκομένην ὑπό τινων καταφυγεῖν εἰς τὸ οἰκίδιον. τὸν δὲ ἕνεκα τοῦ ἀνθρωπίνου εἰσδέξασθαι καὶ ἑνὸς ὄντος κλινιδίου δεομένῃ μεταδοῦναι τῆς κατακλίσεως καὶ τέλος πολλὰ ἐκλιπαροῦσαν ἄπρακτον ἀναστῆναι· λέγειν δὲ πρὸς τοὺς πυνθανομένους ὡς οὐκ ἀπ' ἀνδρὸς ἀλλ' ἀπ' ἀνδριάντος ἀνασταίη'. Eidem scriptori hanc quoque narrationem Gregorius debere mihi videtur, quam legimus in epist. 32 (Migne 37, 72): ὧν ὁ μὲν (Ἀνάξαρχος) ἐν ὅλμῳ κοπτομένων αὐτοῦ τῶν χειρῶν, οὕτω τοῦ τυράννου κελεύσαντος πτίσσειν τὸν Ἀναξάρχου θύλακον διεκελεύετο τοῖς βασανισταῖς. Τί τοῦτο λέγων; τὸ μοχθηρὸν ἡμῖν σαρκίον· ὡς Ἀναξάρχου γε οὐ πτισσομένου τῆς φιλοσόφου ψυχῆς κτλ.'; quae occurrunt et in carm. de virtut. vers. 688:

'λέγεις . . .
πτισμὸν ἐν ὅλμῳ τῶν Ἀναξάρχου χερῶν
ὡς οὐ παρόντος καὶ κελεύοντος σφοδρῶς
πτίσσειν τὸν αὐτοῦ θύλακον· αὐτὸν γὰρ μένειν
ἄπτιστον, ὅστις ἐστὶν οὐχ ὁρώμενον'.

idem fere in epigr. IV (Migne 38, 83); haec enim Diogen. Laert. IX 10: 'συλλαβὼν αὐτὸν καὶ εἰς ὅλμον βαλὼν ἐκέλευσε σιδηροῖς ὑπέροις τύπτεσθαι· τὸν δ' οὖν φροντίσαντα τῆς τιμωρίας εἰπεῖν ἐκεῖνο δὴ τὸ

Gregorius elegantissime elaboratam atque amplissime auctam edidit; quae orationis recensio ad nos pervenit.

Haec mihi praemittenda erant, priusquam ad ipsam orationem explicandam transirem. Iam statuamus,

1. Quo tempore habita sit oratio.

Basilium Kalendis Ianuariis mortem obisse inter viros doctos constat[1]); post hunc igitur terminum oratio confecta et dicta est. Eodem autem tempore, quo Basilius mortuus est, Gregorius aegrotavit, ut funeri interesse mortuumque laudatione celebrare nequiret; quod efficitur ex oratione ipsa, in cuius prooemio orator exponit, quibus causis commotus serius quam voluerit, orationem habeat cp. 2: 'τὰ γὰρ τοῦ σώματος ἴσως οὐδὲ θαρρῆσαι χρὴ λέγειν ἀνδρὶ γενναίῳ καὶ ὑπὲρ τὸ σῶμα . . . τὰ μὲν δὴ τῆς ἀπολογίας ἐνταῦθα κείσθω'. Gregorium illis temporibus aegrotum fuisse etiam melius apparet ex epistula, quam ad consolandum Basilii fratrem Gregorium misit (Migne epist. 76): 'ἀλλ' ἐγὼ μὲν πλὴν τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο ἀφῄρημαι διὰ τὸ νῦν ἔτι πονηρῶς ἔχειν τοῦ σώματος καὶ λίαν ἐπικινδύνως τὸ καὶ περιπτύξασθαι τὴν ἁγίαν κόνιν καί σοι παρεῖναι τὰ εἰκότα φιλοσοφοῦντι καὶ τοὺς κοινοὺς ἡμῶν φίλους παραμυθήσασθαι'. Sed aliam quoque causam orator addit qua prohibitus sit, quominus oratione Basilium iam prius ornaret cp. 2: 'ἔπειτα οὐκ ἀγνοοῦντες μέν, ὑπομνήσω δ' οὖν ὅμως, ὧν μεταξὺ περὶ τὸν ἀληθῆ λόγον ἠσχολήμεθα κινδυνεύοντα'. Eodem enim tempore Gregorius Constantinopoli versabatur, quo iam ante Basilii mortem Arianorum doctrinae

περιφερόμενον· πτίσσε πτίσσε τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δ' οὐ πτίσσεις . . . καὶ ἔστιν ἡμῶν εἰς αὐτόν·

Πτίσσετε, Νικοκρέων, ἔτι καὶ μάλα θύλακός ἐστιν,
πτίσσετ' Ἀνάξαρχος δ' ἐν Διός ἐστι πάλαι.'

Plutarchus quoque breviter hanc narrationem perstringit moral. 449 F, neque vero auctor Gregorii haberi potest.

[1]) De Basilii vita cf. Socrat. H. E. 4, 26; Sozomen. 6, 15—17, 21; Theodoret. 4, 19, 30; Rufin. H. E. 2, 9; Hieronym. de vir. ill. 116; Phot. cod. 137, 138, 141—144; 191 — Hauck, Real-Encyclop. 3. Aufl. (1897) II 436; Böhringer, Die alte Kirche 7. Teil: das vierte Jahrhundert, die drei Kappadozier 2. Aufl. 1875, pg. 59.

atque potentiae opprimendae causa se contulerat[1]), et ubi post illius mortem usque ad autumnum anni 381 manserat. Quibus ex verbis iam Gregorii scholiasta anonymus concluserat Gregorium orationem nostram, postquam Constantinopoli discessit, confecisse (Migne P. Gr. 36, 496 not. 38): 'ἔοικε τὸν παρόντα λόγον μετὰ τὸ κατελθεῖν ἀπὸ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκδεδωκέναι'; neque aliter viri docti nostrates iudicaverunt. Ergo oratio post autumnum anni 381 edita est.

Ad accuratiores autem temporis terminos perveniemus, si consideraverimus, qualem Gregorius in Apollinarium eiusque doctrinam se praebuerit. Atque primum quidem constat Gregorium non ante annum 381 de Apollinarii doctrina edoctum esse, idque mea sententia sub finem anni 381[2]). Dräseke enim argumentis probavit Gregorium anno demum 382 priore epistola ad Cledonium data fortiter contra Apollinarium pugnavisse, id quod usque ad illud tempus nondum fecerat[3]);

[1]) Omnes viri docti, qui de Gregorio egerunt, consentiunt eum anno demum 379 Constantinopolim pervenisse. Idem Dräseke nuper repetivit (Theolog. Studien u. Kritiken vol. 65, [1892] pg. 479): 'Bis zum Jahre 379 genoß er dieser heiligen Ruhe, nur je dann und wann während der Bedrückung der Kirche unter Valens fernen Freunden brieflich Rat, Trost und Zuspruch spendend. Hier in Seleucia war es, wo ihn die Nachricht von dem Tode seines Basileios (1. Jan. 379) ereilte'. Quod legitur etiam apud Ullmannum (l. c. pg. 104), Böhringerum (l. c. pg. 207), Benoitium (l. c. pg. 382). Quamquam certum terminum non praebet Tillemontius (l. c. IX 779), cum dicit Gregorium iam ante diem XX. Aprilis anni 379 Constantinopoli fuisse, tamen potest demonstrari Gregorii ipsius verbis, eum iam ante 379 in illa urbe fuisse. Dicit enim cp. 2: 'ὑπομνήσω δ' οὖν ὅμως, ὧν μεταξὺ περὶ τὸν ἀληθῆ λόγον ἠσχολήμεθα κινδυνεύοντα καλῶς βιασθέντες καὶ κατὰ Θεὸν ἴσως ἔκδημοι γεγονότες, καὶ οὐδ' ἀπὸ γνώμης ἐκείνῳ τῷ γενναίῳ τῆς ἀληθείας ἀγωνιστῇ (i. e. Basilio); cui consentit vita Gregorii a Gregorio Presbytero confecta (Migne 35, 276): 'Καὶ τοιαύτῃ παρακελεύσει κινήσας τὸν ἄνδρα εἰς τὸ Βυζάντιον ἀποστέλλει ... ὁ δὲ αὐτίκα Βασιλείου τοῦ μεγάλου φωστῆρος τὴν ὁρμὴν αὐτῷ συνεπιτείνοντος καὶ πρὸς τοὺς πνευματικοὺς ἀγῶνας ἀλείφοντος ἄλλων τε πλείστων ἀρχιερέων ... ἀντιβολούντων ... τῇ βασιλίδι παρῆν'.

[2]) Dräseke, Theolog. Stud. u. Kritiken 65, (1892) pg. 486: 'Halten wir fest, daß Gregorios' Kenntnis von der Lehre des Apollinarios frühestens aus dem Jahre 381 stammt'.

[3]) Dräseke, l. c. 491—496.

quare veri est dissimillimum Gregorium, si eo tempore, quo orationem confecit, rescivisset Apollinarii doctrinam plane ab orthodoxorum abhorrere, eius mentionem omissurum fuisse, cum necessario compertum haberet, quanti Basilius Apollinarium aestimasset[1]). Ergo Gregorius si post annum 382 orationem edidisset, debuit certo exponere, quid Basilius de Apollinario senserit, ut eum, si res postularent, defenderet; quod non fecit. Hic si quis dixerit defensiones a genere rationeque laudationum alienas esse, Nazianzenus ipse in hac nostra oratione Basilium in simili re defendit. Postquam enim exposuit, quam doctrinam Basilius de Spiritu Sancto professus sit, pergit orator: 'καὶ ταῦτα διῆλθον, οὐχ ἵνα τῆς ἐκείνου δόξης ὑπεραπολογήσομαι (κρείττων γὰρ τῶν ἐγκαλούντων, εἴπερ τινές εἰσιν, ὁ ἀνήρ), ἀλλ' ἵνα κτλ.' (cp. 69). Orator enim cum dicit se Basilium purgare nolle, diserte eum defendit. Et mea quidem sententia oratori eo loco (cp. 68—69), ubi demonstratur, quo animo Basilius in singulas doctrinas ab orthodoxis abhorrentes fuerit, Apollinarius quoque commemorandus erat. Quod quoniam non fecit, concludo orationem ante annum 382 editam esse; edita est igitur inter autumnum anni 381 et annum 382.

Sed vel his artioribus finibus tempus orationis circumscribere nobis licet, si ponimus, id quod mihi probatur, laudationi, quam nunc tenemus, orationem publice habitam dictamque subesse. Cum enim, ut supra vidimus, Basilius Kal. Ian. mortuus sit usitatumque fuerit memoriam mortuorum diebus anniversariis celebrare, orationem Kal. Ian. a. 381 habitam esse contendo. Gregorius igitur, postquam autumno a. 381 Constantinopoli domum reversus aliquamdiu

[1]) Dräseke, l. c. pg. 476: 'Basileios hat später noch in der ersten Hälfte der siebziger Jahre aus seiner großen Verehrung für Apollinarius kein Hehl gemacht, wenn er auch von kleinlich denkenden Geistern jener in Glaubenssachen vielfach nach bloßen Schlagworten richtenden Zeit umdrängt und behelligt, um der damals in der trinitarischen Frage mit Apollinarios hervortretenden Meinungsverschiedenheit willen bemüht war, den Gedanken an geistige und kirchliche Gemeinschaft mit dem Laodicener immer mehr und immer nachdrücklicher von sich zu weisen'.

in patria remansit, Kal. Ian. Caesaream profectus orationem in pristina sede Basilii dixit.

Obvertenti vero Gregorium Kal. Ian. a. 382 iam plane Apollinarii doctrina instructum fuisse, cum sub finem anni superioris in patriam reversus eam novisset, parata est responsio: Gregorius ipse dicit in epistula quadam ad Olympium (ep. 77 Migne) data se initio cum clementia Apollinaristas ad fidem orthodoxam pertrahere studuisse; unde patet, cur in hac oratione, quae statim post perceptam Apollinarii doctrinam composita est, in re leniter et caute tractanda verbis parcere maluerit.

Ergo oratio Kalendis Ianuariis anni 382 habita et initio eiusdem anni edita est.

2. Argumentum orationis.

Exordium: Quamquam difficillimum sit eum laudare, cuius virtutes a nullo oratore apte digneque celebrari possint, tamen se ausum esse hac oratione eius mortui memoriam recolere, qui ipse facultate dicendi praeditus fuerit[1]); orationem ea quoque de causa habendam esse, quod mortuo debeatur (χρέος ἱκανῶς ἀφοσιούμενον)[2]). Auditorum vero pars oratione delectetur, pars adhortationibus stimuletur, ut easdem virtutes consequi studeant[3]) (cp. 1). Quibus causis commotum se hanc orationem habendam suscepisse atque certamen inisse cum iis oratoribus, qui ante se Basilium laudationibus exornaverint[4]), sive publice sive privatim. Ignoscant autem et

[1]) Cf. orat. in Caesarium pg. 37 not. 1.

[2]) Cf. supra pg. 37 not. 1. [3]) Cf. supra pg. 47.

[4]) Pseudo-Lysiae epitaph. § 2: 'ὅμως δ' ὁ μὲν λόγος μοι περὶ τούτων, ὁ δ' ἀγὼν οὐ πρὸς τὰ τούτων ἔργα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πρότερον ἐπ' αὐτοῖς εἰρηκότας'. Praeter nostram Basilii laudationem ad nos pervenerunt Ephraemii et Gregorii Nysseni epitaphii in Basilium; de hoc epitaphio alio loco disseram, cum Gregorio Nysseno abrogandam esse contendam idque aliis causis commotus quam ea, quam Usenerus (Religionsgeschichtliche Untersuchungen I, 248, ad quae cf. Tillemont, mém. ecclés. X 279) significavit. Multitudo epitaphiorum non mira. Compluribus epitaphiis Meletium quoque ornatum esse tradit Theodoretus H. E. V 8: 'ὀλίγου δὲ χρόνου διελθόντος ὁ μὲν θεῖος Μελέτιος εἰς τὴν ἄλυπον μετέστη ζωὴν ὑπὸ πάντων τῶν τοῦ λόγου μετειληχότων ταῖς ἐπιταφίοις ταινιωθεὶς εὐφημίαις'.

mortuus et auditores, quod serius, quam tempus postulaverit, hoc officio fungatur. Et exponit orator causas illas, quas modo (p. 59) disserui. Sed priusquam ad laudem ipsam accedat, Dei gratiam sibi implorandam esse dicit, ne oratione gloriam defuncti minuat vel laedat: 'ἤδη δὲ πρὸς αὐτὴν ἡμῖν ἰτέον τὴν εὐφημίαν αὐτὸν προστησαμένοις τοῦ λόγου τὸν ἐκείνου θεόν, μὴ καθυβρίσω τὸν ἄνδρα τοῖς ἐγκωμίοις μηδὲ πολὺ δεύτερον τῶν ἄλλων ἔλθειν· κἂν ἐκείνου πάντες ἴσον ἀπολειπώμεθα, καθάπερ οὐρανοῦ καὶ ἡλιακῆς ἀκτῖνος οἱ πρὸς αὐτὰ βλέποντες'[1]) (cp. 2).

Laudatio:

γένος: Summa arte hunc τόπον Gregorius tractat; quasi praeteriens enim dicit: si Basilius genere suo gloriatus esset, magnum heroum catalogum sibi proferendum fuisse, cum parentes et patris et matris summa gloria maximisque honoribus floruissent omnibusque illis fabularum heroibus ut Pelopi vel Cecropi praestitissent. Sed Basilium postulare, ut nobilitatem non gloria maiorum, sed virtutibus moribusque singulorum hominum, qui laudentur, metiamur. Quare pauca tantum de maioribus atque parentibus locutum ad Basilii ipsius laudem se transiturum esse (cp. 4).

Sequitur laus maiorum; laudem εὐσεβείας omnium communem fuisse; maiores vero non ea de causa se laudavisse, ut laudem Basilii augeret, sed ut demonstraret, qualia virtutis exempla parentes ei praebuissent et quantopere eos superavisset. Neque enim Basilium in gloria maiorum acquievisse, sed suis

[1]) Cf. etiam finem cp. 1: 'εἰ δὲ πλεῖστον ἀπολειφθεῖεν (sc. οἱ λόγοι), ὃ πᾶσα παθεῖν ἀνάγκη τοῖς ἐκεῖνον ἐγκωμιάζουσιν, ἔργῳ δεδηλωκότι τὴν ἧτταν κτλ.' Qui τόπος αὐξήσεως tritissimus omniumque epitaphiorum communis hac oratione nova procedit forma, cum orator Deum imploret, ut sibi subveniat. Ex aequalium laudationibus afferam, quod Nyssenus dicit orat. III in XL martyr. (Migne 46, 773 C): 'ἐμοὶ δὲ πρόκειται διπλοῦς ἀγὼν καὶ δέος, μὴ καθυβρίσω μὲν τὴν ὑπόθεσιν τῇ ἀσθενείᾳ τῆς ἐξηγήσεως'; cf. eiusdem orationes in Ephraemium orationemque in Basilium. Atque facete Libanius in Iuliani epitaphio § 4: 'ἀεὶ μὲν οὖν ἔγωγε τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐγχειρῶν ἐγκωμιάζειν ἔλαττον εὗρον τοὺς ἐμοὺς λόγους τοῦ μεγέθους τῶν ἔργων καὶ μὰ τοὺς θεοὺς οὐδεπώποτε ἠχθέσθην εἰ φίλου βασιλέως ἀρετὴ νικῴη τὴν τοῦ φιλοῦντος σοφιστοῦ δύναμιν'. Cf. Aristid. XXXII 4 K. — Ceterum dei imprecatio ad antiqua exempla redire videtur, quae tamen alius orationis generis sunt (cf. initium Demosth. de cor.)

virtutibus ac factis eos superare summopere studuisse (cp. 5—8)[1]). Deinde parentes tam coniuncte laudat (cp. 9), quam seorsim patrem priorem, alteram matrem (cp. 10). Et quoniam primitias laudis (ἀπαρχὰς τῶν ἐπαίνων) parentibus impertiverit secundum legem divinam, quae iubeat parentibus omnem honorem deberi, se Basilii ipsius laudem, quamvis difficile sit, praedicaturum esse.

Τόπον κάλλους tractandum non esse putat orator, non quod Basilius pulcher non fuerit, sed quia ea sola laudare sibi proposuerit, quae a fine orationis aliena non sint. Et sequitur transitione facta nulla

τόπος παιδεύσεως: 'οἶμαι δὲ πᾶσιν ἂν ὁμολογεῖσθαι τῶν νοῦν ἐχόντων παίδευσιν τῶν παρ' ἡμῖν ἀγαθῶν εἶναι τὸ πρῶτον'. Non solum libros sacros doctrinamque ecclesiae eum plane didicisse et percepisse, sed etiam studiis antiquorum Graecorum eum imbutum fuisse, quae non modo non noceant, sed etiam utilia sint, si iis recte utatur, qui ea didicerit (cp. 11)[2]). — Ac primum quidem a patre institutum eum non ut Graecos antiquos venationi vel equitatui se dedisse aut in antro quodam Thessalico medullis leonum et cervorum altum et educatum[3]), sed scientia et virtutibus imbutum esse (cp. 12); deinde magistros externos eundem erudivisse, et Caesaream primum, cuius urbis scientiam praedicat orator, deinde Byzantium, denique Athenas petivisse; qua in urbe se (Gregorium) cum illo (Basilio) amicitiam iunxisse. — Atque notatu dignissima sunt ea, quae sequuntur; perspicitur enim, quantopere illis temporibus oratores praecepta rhetorum regulasque, quas omnes auditores ex usu noverant, sequi debuerint. Nam Gregorius τόπον παιδεύσεως copiosius, quam usu licebat, tractaturus et in illo alias res, quam quae ex

[1]) Quae sententia iam apud Isocratem invenitur (de bigis § 29): 'οὐδ' ἠξίωσεν αὐτὸς μὲν ῥᾳθύμως ζῆν, σεμνύνεσθαι δ' ἐπὶ ταῖς τῶν προγόνων ἀρεταῖς, ἀλλ' εὐθὺς οὕτω μέγ' ἐφρόνησεν, ὥστ' ᾠήθη δεῖν δι' αὐτὸν καὶ τἀκείνων ἔργα μνημονεύεσθαι'; cf. Isocrat. Busir. § 10, et Panegyricum in Messallam vers. 28 seqq.

[2]) Cum defendit orator studia paganorum, defendit etiam Basilii libellum πρὸς τοὺς νέους ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων.

[3]) Cf. Nicolaum apud Spengel rh. gr. III 481, 8.

artis ratione huic parti subiungere solebant, enarraturus longiorem hanc sibi parat apud auditores excusationem (cp. 14): 'Τὸ μὲν δὴ μέχρι τούτων εὔδρομος ἡμῖν ὁ λόγος καὶ διὰ λείας τῆς ὁδοῦ φέρων καὶ ἄγαν εὐπόρου καὶ βασιλικῆς ὄντως τῶν τοῦ ἀνδρὸς ἐγκωμίων· τὸ δὲ ἐντεῦθεν οὐκ οἶδ' ὅτι τῷ λόγῳ χρήσωμαι καὶ ποῖ τράπωμαι· ἔχει γάρ τι καὶ πρόσαντες ὁ λόγος. ποθῶ μὲν γάρ, ἐνταῦθα τοῦ λόγου γενόμενος καὶ τοῦ καιροῦ τούτου λαβόμενος, καὶ τῶν κατ' ἐμαυτόν τι προσθεῖναι τοῖς εἰρημένοις καὶ μικρόν τι προσδιατρῖψαι τῷ διηγήματι, ὅθεν τε καὶ ὅπως ἡμῖν . . . Φιλεῖ γὰρ οὔτε ὄψις ῥᾳδίως ἀναχωρεῖν τῶν τερπνῶν θεαμάτων, κἂν ἀφέλκῃ τις βίᾳ, πρὸς αὐτὰ πάλιν φέρεσθαι· οὔτε λόγος τῶν ἡδίστων διηγημάτων. δέδοικα δὲ τὸ φορτικὸν τῆς ἐγχειρήσεως. πειράσομαι μὲν οὖν, ὡς οἷόν τε μετρίως, τοῦτο ποιεῖν. ἂν δ' ἄρα τι καὶ βιαζώμεθα ὑπὸ τοῦ πόθου, συγγνώμη τῷ πάθει'; atque orditur cp. 15 narrationem, quae pertinet usque ad cp. 22. Sed cp. 19 interrumpens narrationem se excusat orator: 'Αἰσθάνομαι μὲν οὖν ἔξω τοῦ καιροῦ καὶ τοῦ μέτρου φερόμενος καὶ οὐκ οἶδ' ὅπως εἰς τούτους ἐμπίπτω<ν> (corr. B. Keil) τοὺς λόγους, οὐκ ἔχω δ' ὅπως ἐμαυτὸν ἐπίσχω τοῦ διηγήματος. ἀεὶ γάρ μοι τὸ παρεθὲν ἀναγκαῖον φαίνεται καὶ κρεῖττον τοῦ προειληφότος... Εἰ μὲν οὖν συγχωρήσει τις, ἔχω τὸ ζητούμενον, εἰ δὲ μή, παρ' ἐμαυτοῦ λήψομαι'. Hac narratione finita Basilii discipuli docilitatem industriam mores laudat: eloquentiam grammaticam metricam philosophiam (πρακτικήν, θεωρητικήν, διαλεκτικήν), astronomiam geometriam arithmeticam medicinam eum didicisse (cp. 23). Omnibus scientiis ac litteris ornatum ut navem mercibus oneratam domum revertisse, amicos discessum lugentes Athenis reliquisse (cp. 24).

Presbyteri 1. Ἐπιτήδευμα: Presbyterum eum factum esse, postquam munere lectoris functus esset, quod praestare eum non ut alios puduisse (cp. 25—27). 2. Πράξεις quas singulas referre cum nullius momenti sit, supersedeo (cp. 28—36).

Episcopi 1. Ἐπιτήδευμα: propter res illas, quas presbyter Basilius gessit, eum episcopum Caesariensem factum esse (cp. 37—38). 2. Πράξεις (cp. 38—59): a) res domesticas atque internas ecclesiae temperat (cp. 39 πρῶτον . . . cp. 40 ἔπειτα);

b) ἐπεὶ δὲ τὰ οἴκοι κατὰ νοῦν εἶχεν αὐτῷ . . . περινοεῖ τι τῇ διανοίᾳ μεῖζον καὶ ὑψηλότερον (cp. 41): haereticos enim ad fidem orthodoxam convertere studet (cp. 41—43); c) eius pugnae et rixae cum imperatoribus praefectisque quales fuerint (cp. 44—57); d) ὁ μὲν δὴ κοσμικὸς πόλεμος ἐνταῦθα ἐτελεύτησεν . . . ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη τῶν ἐπισκόπων: quae fuerint eius rixae cum episcopis (cp. 58).

Ἀρεταί, qui τόπος artificiosissime cum parte praecedenti coniungitur. Dicit enim orator alteram auditorum partem sibi crimini daturum esse, quod omiserit omnia mortui facta referre, alteram, quae mediocritatis amans sit, questuram esse, quod nimis in factis enarrandis sit immoratus. Atque ut utrique satis faciat, aliam viam se iam ingressurum esse: singulae igitur Basilii virtutes praedicantur, quae secundum philosophorum doctrinam [1]) dividuntur in ἠθικάς et διανοητικάς, quarum illas continent cp. 60—64, has cap. 65—69, ut pares partes existant. Quod priores attinet, monendum est oratorem illas inprimis laudare virtutes, quae monachorum propriae sunt, nempe paupertatem (60) continentiam (61) virginitatem (62) benignitatem in pauperes curamque aegrotorum (63), ad quas alias paucas addit (64). Inter διανοητικὰς ἀρετάς laudat orator mortui eloquentiam et facultatem doctrinae Christianae docendae (65). Basilii scientiam rerum divinarum tantam fuisse, ut is, qui illius scripta optime noverit, doctissimus omnium habeatur (66). Denique scriptis et operibus summatim enumeratis (67)[2]), quam doctrinam Basilius professus sit qualemque in aliorum doctrinam se praebuerit, exponitur (cp. 68—69).

Σύγκρισις[3]) (cp. 70—76): Basilii virtutes comparantur cum virtutibus virorum Veteris et Novi Testamenti. Haec est omnium comparationum in laudationibus adhibitarum usque ad Gregorii aetatem ut copiosissima, ita languidissima. Sine transitione haec pars praecedenti subiungitur cp. 70: Φέρε δὴ πολλῶν ἐν τοῖς πάλαι καὶ νῦν γεγονότων ἀνδρῶν ἐπ' εὐσεβείᾳ

[1]) Haec partitio inde ab Aristotele in usu erat; cf. supra pg. 26.
[2]) Cf. Cornel. Nepot. Attic. 18.
[3]) Cf. quae supra exposui pg. 30.

γνωρίμων, νομοθετῶν, στρατηγῶν, προφητῶν, διδασκάλων, τῶν ἀνδρικῶν μέχρις αἵματος, παρ' ἐκείνοις τὰ ἡμέτερα θεωρήσαντες κἀντεῦθεν τὸν ἄνδρα γνωρίσωμεν[1]). Atque primum quidem viri Veteris Testamenti proferuntur (cp. 70—74): Adam Enos Enoch Noë (70); Abraham (Isaac) Iacobus (71); Iosephus Iob Moses Aaron (72); iudices et reges Samuel David Salomon (73); prophetae Elias Elisaeus aliique (74). Verbis ἐπὶ δὲ τὴν Νέαν μέτειμι Διαθήκην transitione facta orator comparat Basilium cum Iohanne (75), cum Petro Paulo Stephano (76). In comparationis fine totam partem his complectitur verbis: 'ἐκεῖνος γὰρ τὸ μὲν ἐξεῦρε τῶν καλῶν, τὸ δὲ ἐζήλωσε, τὸ δὲ ἐνίκησε, τῷ δὲ διὰ πάντων ἐλθεῖν τῶν νῦν πάντων ἐκράτησεν'. Tantam eius gloriam fuisse, ut omnes eum imitari studerent (77).

Θάνατος (cp. 78—79): Se prae summo dolore cunctari ad hanc partem transire: 'Τοῖς δὲ ἑξῆς ὀκνεῖ μὲν προσελθεῖν ὁ λόγος, προσβήσεται δὲ ὅμως, εἰ καὶ ἄλλοις μᾶλλον πρέπει ὁ λόγος· οὐ γὰρ ἔχω φιλοσοφεῖν ἐν τῷ πάθει, καὶ εἰ σφόδρα φιλοσοφεῖν ἐσπούδακα, τῆς κοινῆς μεμνημένος ζημίας καὶ κατασχόντος πάθους τὴν οἰκουμένην[2]). Mors describitur cp. 79.

Ἐκφορά[3]) cp. 80): undique et Christianos et Iudaeos et paganos convenisse, ut sanctum viderent; atque tantam fuisse spectantium copiam, ut nonnulli comprimerentur atque contunderentur, qui a circumstantibus beati praedicati essent, cum ut θύματα ἐπιτάφια mortuo oblati esse viderentur et una cum illo gaudiis caelestibus fruerentur.

Θρῆνον plane reicit orator cp. 80: Se esse semimortuum, quippe qui ab altera sui parte Basilio mortuo separatus sit;

[1]) In comparationibus oratores Christiani pro antiquorum Graecorum regibus heroibus ducibus suos patriarchas et apostolos posuerunt (Walz, rhet. graec. III 599, 19).
[2]) Libanius in epitaph. in Iulian. cp. 267: 'μέχρι μὲν οὖν τούτων ἐκεῖνός τε νικῶν ἐχώρει καὶ ἐμοὶ λέγειν ἡδύ, τὸ δὲ ἐντεῦθεν . . . ἐφ' οἷον ἄγωμαι λόγον βούλεσθε σιγήσω' et transit ad mortem enarrandam. In eodem contextu eadem sententia invenitur in Gregorii Nysseni epitaphio in Meletium (Migne 46 pg. 860 A): ὡς καλὰ μεχρὶ τούτου τὰ διηγήματα, ὡς μακάριον ἦν τούτοις ἐναπολῆξαι τὸν λόγον'.
[3]) Notandum est Gregorium pompam funebrem, quamquam ei non interfuit, tamen accuratissime describere.

nec tamen se lacrimas cum laude miscere velle: 'καὶ οὐκ ἐγὼ μὲν οὕτω θρήνους ἀναμίγνυμι τοῖς ἐπαίνοις'.

Συμβουλή: omnes Basilii virtutes imitentur (80).

Μακαριcμός (81), quo chorum convocat hominum Basilium praedicantium. Non solum Christianorum sed etiam paganorum pro sua quisque professione laudet Basilium aut legislatorem aut magistrum aut discipulum aut iudicem aut medicum etc.[1]).

Epilogus: Laudationem orator offert Basilio eumque orat, ut sibi ignoscat, quod non digne meritis eum laudaverit; se protegat et dirigat et mortuum ad se recipiat[2]).

3. De orationis compositione.

Et ex argumenti enarratione et ex iis, quae supra generatim de orationibus funebribus exposui, apparet hanc orationem generi καθαροῦ ἐγκωμίου, quod vocatur, adscribendam non esse; nam exstat in fine orationis solemnis τόπος θρήνου, quamvis ab oratore ut in ceteris epitaphiis reiciatur. Tota laudationis structura cum Menandri dispositione λόγου ἐπιταφίου congruit, a quo ea sola re differt, quod consolatio deest[3]).

De partitione ipsa, ut quae ex enarratione argumenti facile perspiciatur, plura verba facere supersedeo. Restat, ut de singulis quibusdam orationis partibus agam.

Atque in τόποις ἐπιτηδευμάτων et πράξεων tractandis rhetores illa priora, posteriores has ponere solent: Gregorius ita illos tractat, ut singulis viri dignitatibus (ἐπιτηδεύμασιν) statim quae in unaquaque ab eo gesta sunt, subiciat. Ergo temporum ordinem secutus, postquam exposuit Basilium sacerdotem factum

[1]) Totum fere caput 81 ad verbum invenitur in oratione in Athanasium (cp. 10), cf. infra pg. 69.

[2]) Finem orationis excidisse recte observavit B. Keil; neque enim fieri potest, ut Gregorius, quamvis sit arrogans, orationem terminaverit verbis illis, quibus orator quaerit, quis Basilio mortuo ipsum defunctum laudaturus sit. Quo accedit, quod formula illa, quae post ἄξιον legitur 'ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ ... Ἀμήν' in plerisque codd. deest. Omnia igitur, quae post ἄξιον legebantur, perierunt; librarii nonnulli, qui probo usi iudicio iustam epitaphii conclusionem desiderabant, formulam illam, qua ceterae quoque orationes terminantur, apposuerunt.

[3]) Cf. quae aptissime Menander (Spengel rh. gr. III 419) exponit, quando ἐπιτάφιος habendus sit, quando καθαρὸν ἐγκώμιον.

esse, statim sacerdotis facta laudat; tum Basilium ad cathedram episcopalem pervenisse refert, quo relato episcopi facta praedicat. Atque consulto eum ab usitata dispositione recessisse concluditur ex his verbis (cp. 27): 'ὁ μὲν οὖν προεδρίας (episcopatus) λόγος ἀναμεινάτω· τῷ δὲ τῆς ὑφεδρίας (sacerdotii) μικρόν τι προσδιατρίψωμεν', quae factorum sacerdotis laudatione excipiuntur. Apte autem et artificiose duae partes sacerdotii et episcopatus ita orator coniungit, ut dicat Basilium propter praeclarissimas in sacerdotio res gestas ad munus episcopale promotum esse cp. 27: 'ἐκ δὴ τούτων καὶ τοιούτων ... ἐπὶ τὸν ὑψηλὸν τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον ἀνάγεται'.

Virtutes in hac quoque oratione per se tractantur; ponuntur vero non ut in praecedenti oratione ante, sed post facta explanata, ut apud Xenophontem et Iulianum[1]); a quibus tamen ea re differt, quod nusquam facta ad comprobandas virtutes proferuntur.

Μακαριcμός, quem in fine orationis legimus, vere hymnus est; forma colorum antithetica per totum caput pertinet, qua parte iudicium illud Useneri, quod de arte Nazianzeni tulit 'der rasche Tanz asiatischer Kola' (Religionsgesch. Untersuchungen I 253) optime confirmatur. Gregorium ipsum sibi persuasisse hanc partem pulcherrimam esse inde apparet, quod totum locum in laudationem in Athanasium compositam transtulit (cf. pg. 68, not. 1). Atque ut in posteriore hac oratione auditores adhortatur, ut ipsi auxilientur et secum laudem Athanasii praedicent (cp. 10: 'Δεῦρο δὴ συμπανηγυρίσατέ μοι περὶ τὸν λόγον κάμνοντι ... δεῦρο οὖν μοι διέλεσθε τὰ ἐκείνου καλά, ὅσοι τοῦ ἐκείνου ἐπαινέται καὶ μάρτυρες καὶ ἀγῶνα καλὸν ἀγωνίσασθε πρὸς ἀλλήλους ἄνδρες ὁμοῦ καὶ γυναῖκες κτλ.'), ita etiam in oratione in Basilium Gregorius orat, ut 'chorus' eorum, qui se circumstent, laudem mortui canat cp. 81: 'Δεῦρο δὴ περιστάντες με πᾶς ὁ ἐκείνου χορός ὅσοι τοῦ βήματος κτλ'. Quam sententiam apud oratores aequales usitatam fuisse demonstrat Nordenus[2]), qui dicit: 'In der ersten Invektive gegen Julian ruft er (Gregorius)

[1]) Libanius in epitaphio in Iulianum laudat τὰ πεπραγμένα μετ' ἀρετῆς, non virtutes per se.

[2]) Norden, Antike Kunstprosa II 847.

— ganz wie gleichzeitige heidnische Redner, besonders Himerios — sich einen Chor seiner Zuhörer herbei, denen er seine ᾠδή vortragen wolle (orat. in Iul. I cp. 7—17); daher nennt Fénelon seine Reden *hymnes*'.

Structura prooemii prorsus regulas antiquorum Graecorum sequitur. Incipit enim a re (difficillimum esse Basilium laudare), ab oratore (sibi orationem esse habendam), ab auditoribus (quorum alteram partem ut delectetur, alteram, ut ad virtutem exstimuletur, adesse)[1].

Dispositio igitur orationis haec est:

I. Prooemium 1—2.
II. Laus:
  1. γένος a) maiorum b) parentum 3—10
  [2. κάλλος 10]
  3. παιδεία 11—24
  4. Presbyteri a) ἐπιτήδευμα 25—27
     b) πράξεις 28—36
  5. Episcopi a) ἐπιτήδευμα 37—38
     b) πράξεις 38—39
  6. ἀρεταί 60—69
  7. σύγκρισις 70—77
  8. θάνατος 78—79
  9. ἐκφορά 80
  [10. θρῆνος 80].
III. Adhortatio 80.
IV. Μακαρισμός 81.
V. Epilogus.

Gregorii orationibus funebribus pertractatis et explanatis considerare breviter liceat, quae ratio inter eius paganorumque orationes intercedat. Gregorii igitur orationes funebres, quod

[1]) Cornific. III, 6, 11: 'principium sumetur aut ab nostra aut ab eius, de quo loquemur, aut ab eorum qui audient, persona, aut a re'. Cf. Anaximenis artem. Hanc prooemiorum conficiendorum regulam antiquissimam esse ex Aristotelis quoque arte rhet. (III, 14) efficitur, quam rem amplius exponere huius loci non est. Aristoteles propriam formam prooemiorum laudationum creavit (rhet. III 14), quam posteri non receperunt: neque Cornificius neque Hermagoras (Thiele, Hermagoras pg. 113) eum secuti sunt.

compositionem attinet, plane praeceptis iis respondent, quae rhetores pagani de illis componendis dederunt, eaedemque inveniuntur in iis sententiae, quas pagani oratores praebuerunt. Itaque argumenta et compositiones harum Gregorii orationum neglectis artibus et orationibus gentilium rhetorum vix recte explicari aut intellegi possunt. A quibus quamvis dependeat — neque fieri potuit, quin orator illius aetatis, quisquis fuit, formas orationum a rhetoribus conditas auditoribusque notas amplecteretur —, tamen illi ea est tribuenda laus, quae vera veri laus oratoris est, eum suam sibi servasse libertatem neque se technicorum auctoritati quasi in servitutem addixisse, sed ipsum formam figuramque orationum a prioribus acceptas partim amplificavisse, partim, cum tempus et occasio postularent, mutavisse, neque dubitasse singulos τόπους, qui ei ad rem atque propositum pertinere non viderentur, aut omittere aut in transcursu tangere. Atque Gregorium perfectissimum oratorem esse cum ex hoc tum inde apparet, quod summa arte atque subtilitate tritissimis illis et omnium laudationum communibus sententiis novas, ut ita dicam, vestes induere novisque eas luminibus distinguere scivit, ita ut non tam sententias ipsas quam exquisitae et electae dictionis novitatem in eo admiremur. Praestitit igitur, quod Gorgiam magistrum secutus Isocrates in celeberrima Panegyrici oratione de arte sua praedicavit: esse oratoris περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι et τὰ παλαιὰ καινῶς διελθεῖν.

VITA.

Natus sum Josephus Xaverius Hürth in oppido Oberehnheim a. d. XVII Kal. Nov. anni MDCCCLXXXI patre Michaele matre Maria Anna e gente Seyler. Fidem profiteor catholicam. Primordiis linguae Latinae imbutus mense Januario anni MDCCCXCIV in numerum discipulorum quintae classis progymnasii Oberehnheimensis receptus sum. Quinque annis post gymnasium Schlettstadtiense petivi, unde maturitatis testimonio ornatus anno MDCCCCI ad studia antiquitatis colenda Argentoratum me contuli et apud philosophorum ordinem nomen professus sum. Autumno anni MDCCCCIII ad almam matrem Berolinensem profectus reverti semestri sequenti Argentoratum.

Docuerunt me viri doctissimi Argentorati: Baeumker, Bartoli, Dehio, Gröber, Keil, Leitschuh (nunc Friburgae Helvetiorum), Martin, Michaelis, Neumann, Plasberg (nunc Rostochiensis), Reitzenstein, Schwartz (nunc Gottingensis), Thraemer, Windelband (nunc Heidelbergensis), Ziegler. — Berolini: Jastrow, Meyer, Münch, Schäfer, E. Schmidt, Schmitt, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff. —

Argentorati Proseminario philologico interfui per quattuor semestria auspiciis Keilii, Reitzensteinii, Plasbergii. Berolini Diels et Wentzel ad exercitationes philologicas accessum mihi permiserunt. Ut seminarii philologici Argentoratensis sodalis fierem, Keilii et Reitzensteinii benevolentia factum est. Praeterea Argentorati exercitationibus interfui, quas historicas Keil et Neumann, numismaticas Thraemer, archaeologicas Preuner, franciscas Groeber, italicas Bartoli, germanicas Martin moderabantur. Quibus viris pro multis erga me meritis semper gratiam habebo.

Imprimis autem me sibi devinxit praeceptor meus Keil, cuius consilio in hoc opusculo conficiendo, quantum vellem uti mihi licebat.